AUTHOR:

DELAUNAY, D[IDIER]

TITLE:

SANCTI THOMAE DE ORIGINE IDEARUM...

PLACE:

PARIS

DATE:

1876

Master Negative #

93-81189-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

189T36
DD2 Delaunay, D[idier], 1840-
Sancti Thomae de origine idearum doctrina, qualis quum ab ipso proposita, tum a liberatore defensa fuit, breviter recensetur et dijudicatur, D. Delaunay. Paris, Thorin, 1876.
x, [11]-101 p. 22 cm.


Thesis, Paris, 1876.

90843

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-19-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

THESIS LATINA.

L. ROBERT,

IN REDONICA FACULTATE PHILOSOPHIÆ PROFESSORI,

Hoc amicitiæ et gratiæ pignus obtulit auditor discipulusque ejus.

SANCTI THOMÆ

DE

ORIGINE IDEARUM

DOCTRINA

Qualis quum ab ipso proposita, tum a

LIBERATORE DEFENSA FUIT,

BREVITER RECENSETUR ET DIJUDICATUR.

D. DELAUNAY.

PARIS
ERNEST THORIN, ÉDITEUR
LIBRAIRE DU COLLÉGE DE FRANCE
ET DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE
7, RUE DE MÉDICIS, 7

MDCCCLXXVI.

PRÆFATIO.

Annuente uno inter præstantissimos Parisiensis Universitatis magistros (1), cui propter consilia benevolasque adhortationes, quæ obscuro provincialis collegii professori non recusavit, multa nos debere grato animo declaramus, exponendam et dijudicandam suscepimus Sancti Thomæ de Origine Idearum disciplinam. De qua quæstione non sine utilitate inquiri posse credimus, non modo quia summam etiamnunc Doctor ille auctoritatem retinet, sed etiam quia ea esse videtur temporis inclinatio, ut, postquam immerito neglecta, imo contempta jacuit Scholasticæ ætatis sapientia, inter nos contra nonnulli exstiterint qui præsentes recentioresve ita suspectos habeant, ut non jam Cartesium, Leibnitzium, Fenelonem, Bossuetium, quos recentioribus doctrinis nimis propinquos judicant, sed scholasticos tantummodo magistros informandis juvenum animis adhibendos censeant. Ad veteres et jamdudum repudiatas *de materia prima et secunda, de forma substantiali aut accidentali, de essentia et existentia* disputationes revertendum, a quibus, incolumi Fidei integritate, discrepare non licet; ea sunt alimenta quæ mentes robustas et adversus recentiorum

(1) M. Janet.

pravitatem munitas efficient. — Quasi non ea esset humanæ mentis natura ut priorum investigationibus multa posteri addant quæ relinquere absurdum foret! Quasi non ea esset, ut cæterarum doctrinarum artiumve, ita philosophiæ quoque necessaria conditio, ut singulæ ætates futuris tanquam hæreditatem quamdam tradant, non modo summa cura defendendam, sed etiam libera Doctorum inquisitione ita augendam ut ipsi quoque nepotibus suis novas opes comparent, et propius ad veritatem accedant, ad quam velut perpetuum quoddam iter agere humanitas videtur!

Quod si ad aures tuas non venerint isti rumores, *Institutiones philosophicas* a Liberatore nuper editas lege: qui liber, postquam *duodecim editiones* consecutus est, et summum in clericalibus scholis locum obtinuit, ab auctore, ante hos tres annos, nova forma ita donatus est ut, quum olim hunc ad mediam ætatem regressum cautus dissimulavisset, doctrinam suam quasi « e recentioribus decretis » deductam » proponens, nunc palam profiteatur se pristinis doctoribus et Thomæ præsertim addictum esse; imo et barbara verba, et usitatam inter scholasticos syllogisticæ argumentationis consuetudinem restituat, quasi signum quoddam hostibus ostendendum.

« Quum primum, inquit, abhinc annos fere viginti, meas » *Institutiones* in lucem proferrem, duplicem difficultatem » non leve mihi negotium facessere conspiciebam. Equidem » probe noveram non posse aliter malis, quibus philosophia

» afflictabatur, remedium afferri nisi ad firmissima funda- » menta revocaretur quæ Doctores Ecclesiæ et S. Thomas » potissimum, illi excitandæ substruxerant. Itaque mihi » persuasum erat ad bene conformandas adolescentium » mentes nihil esse efficacius quam perpetuum usum ratio- » cinationis ad scholasticæ formæ severitatem redactæ. At » vesanum odium contra veteres sapientes a novatoribus » excitatum, nondum ita deferbuerat ut sineret cum spe » boni fructus, instaurationem de qua dixi libere persequi. » Sophistarum vero loquacitas ita suis concinnis et lasciviore » verborum ornatu adhuc generatim oblectabat, ut liber » dialectico rigore conscriptus, tanquam obsoletus, nauseam » potius quam desiderium pariturus fuisset (Lib., t. 1, » p. 4). »

At postquam deferbuit, ut videtur, ista temporum improbitas, non jam se recentiorum consuetudini accommodare cogitur Liberatore, et « doctrinam S. Thomæ expressius » profitetur (p. 5). » Itaque, quoad Originem Idearum, præcipuos ejus locos refert, nec alias sibi partes vindicat nisi ut eos interpretetur et adversus recentiores defendat. Imo, ut videbimus, eo *idealismi, rationalismi* aut *ontologismi* timore angitur, ut nonnunquam ad purum *empirismum* magistri sui doctrinam manifeste detorqueat, et altissimam S. Thomæ metaphysicam eo adducat ut vix a Lockio vel ab ætatis nostræ *positivismo* abhorreat.

Nos quidem ætatis nostræ aliam esse conditionem, alia

pericula credimus quam ea adversus quæ civium suorum animos munire conatus est S. Thomas. Quo enim tempore Angelicus Doctor in schola vigebat, paucorum tantum animos alliciebat doctrinæ studium; qui, quum sibi inter eos homines viam aperire non valuissent, quos per fraudem et per vim grassantes videbant, ad Ecclesiam profugi, quæ sola infirmis humilibusque libertatis et veræ dignitatis tutam sedem offerebat, et rerum mortalium spectaculo, et plerumque ingenii sui natura, ita comparati erant ut ad mysticos aut pantheisticos errores, vel denique ad doctrinas quæ hominem supra præsentem conditionem evehere videntur, facile delaberentur; quapropter tunc Averroïstæ, tunc quicumque Platonem in altissimas regiones evagantem secuti sunt, tunc mystici demum metuendi erant. Adversus quos S. Thomas, Aristotelis vestigiis insistens, veram de præsenti naturæ humanæ conditione doctrinam, et eo ipso sanam christianæ veritatis interpretationem, ne istis somniis corrumperetur, opportune summaque cum laude confirmavit. At recentiorum animorum inclinatio longe diversa est, et, invito Liberatore, credimus non tam metuendum esse Rosminii aut Gioberti *ontologismum*, quam *positivismum*, ad quem multos trahere videntur et magnificus physicarum doctrinarum processus, quarum splendor ita eorum oculis officit ut nihil jam cognosci posse existiment nisi quod eo modo cognoscatur, et majores pluribusque in diem communes præsentis vitæ illecebræ, cujus tædio mediæ ætatis homines

alteram melioremque conditionem totis animi viribus appetebant. Itaque nonnulli magis providi et ætatem suam prudentius judicantes quam ii qui quodammodo a cæteris segregati vivunt, intra societatem quamdam quasi inclusi quæ legibus suis immota restitit, dum cætera omnia violentis perturbationibus concussa agerentur, periculosum esse istum ad alteram ætatem regressum ostenderunt. Quis enim vere credat cum christiana religione facilius conciliari posse Aristotelem quam Cartesium, quem maxime sibi impugnandum proposuisse videtur Liberatore? Quis credat in empirica quam profitetur S. Thomas psychologia (cum ejus quidem metaphysica minime concordante) utile adversus ætatis nostræ errores subsidium quærendum esse? Pro nostra parte prudentibus verbis assentimur, quæ, a viro quodam edita eminentissimo et præclarum civibus suis fidei cum philosophiæ studio consociatæ spectaculum ostendente, hic referenda censemus :

« Periculosum est, inquit, non equidem si quis Aristo-
» telis scholam subeat, qua nulla aptior est ad recreandam
» philosophicæ cogitationis virtutem, sed si ibidem diutius
» moratus sit. Quod scholasticorum exemplo constat. Illi
» enim syllogismum invenerunt, quasi instrumentum quod-
» dam quo aptissime uterentur ut e principiis fide constitutis
» præcepta deducerent quorum summa conflatur theologica
» doctrina. Sed in rebus proprie philosophicis opinione majus
» impedimentum eis fuit nimia reverentia qua Peripatetis-

» mum coluerunt, cujus nec consuetudo nec doctrina cum
» christiana philosophia vere congruunt. Forsitan nisi ad-
» fuissent quum christianæ religionis optima natura, tum
» quoque Platonicorum præcepta, quæ ab Augustino emen-
» data acceperant, Aristotelis dominationem servorum more
» tolerantes, omnino, aut ad pantheisticas interpretationes,
» quarum exemplum proponebat Averroës, aut ad empiris-
» mum, metaphysicæ exitiosum, delapsi essent. Nam quam-
» vis duplici hoc munimento fretus, præclarissimus S. Tho-
» mæ animus libertatem suam integram non retinuit. Nunc
» enim summam argumentandi vim frustra exhibet ut cum
» Evangelio Aristotelem conciliet, nunc, ut in quæs-
» tione de Origine Idearum, psychologiæ inservit unde
» illi arduum erit altissimam metaphysicam deducere ad
» quam tendit (M. de Margerie, *Phil. contemp.*, art. sur
» M. Ravaisson, p. 244). »

Duplex igitur operis nostri consilium erit : primo enim S. Thomæ doctrinam referemus, nec sic quidem ut plerique recentiores ejus interpretes, eam scilicet disciplinæ nostræ consuetudini accommodantes, sed ordinem ab eo institutum sedulo servantes ; deinde argumenta perpendemus quibus Liberatore adversus recentiorem philosophiam patrocinium ejus suscepit.

SANCTI THOMÆ
DE
ORIGINE IDEARUM
DOCTRINA

Qualis quum ab ipso proposita, tum a

LIBERATORE DEFENSA FUIT,

BREVITER RECENSETUR ET DIJUDICATUR.

§ 1.

De Sancti Thomæ Methodo.

Tota S. Thomæ de Origine Idearum disciplina paucis quibusdam effatis, citra omnem observationem constitutis, inniti videtur; quæ quum sæpius, aut parum mutata, aut iisdem verbis expressa repetat, ineunte opere nostro referre debemus. « Cognitio, inquit, contingit secundum quod cognitum
» est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente
» secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognos-
» centis cognitio est secundum modum suæ naturæ (*S.*, p. 1,
» q. 12, a. 4). » Quod aliter dictum in ejus de *Memoria* et *Reminiscentia* opusculo invenimus : « Operatio
» proportionatur virtuti et essentiæ ; intellectivum autem
» hominis est in sensitivo, et ideo propria operatio ejus est

» intelligere intelligibilia in phantasmatibus (*de Mem. et* » *Rem.*, lect. 2). » Qualem igitur de natura hominis, talem de ejus cognitione doctrinam proponit ; nec ad explanandam idearum originem ab idearum studio proficiscitur : imo, quum vel in rebus quæ per observationem deprehendi possunt, e metaphysica semper initium sumat, non magis ipsius hominis experientia hominis scientiam condit, sed cuncta ad Aristotelicam de materia et forma philosophiam, immodica subtiliorum distinctionum congerie a scholasticis amplificatam, quasi ad communem totius doctrinæ fontem referuntur.

Sic inter quæstiones instituitur ordo recentiorum consuetudini alienissimus, a quibus rectius intellectam fuisse veram investigandi rationem, suæ ipsius naturæ necessitate quadam homini impositam, magnifico scientiæ processu constat, quidquid dicant scholasticæ prudentiæ nimii laudatores. Quotiescumque enim de rebus agitur, ut dicunt philosophi, *contingentibus*, investigantique per experientiam perviis, ab experientia initium sumendum censemus, nec ullum ipsi metaphysicæ solidum fundamentum supponi posse, nisi prius instituta fuerit animæ per internam observationem cognitio. Quæ quum vis sui conscia sit, ubi se ipsam cognoverit, inde vel ad Deum infinitum assurget, quem ita sibi finget ut in eo perfecta concipiat quæ in se manca et imperfecta senserit, vel ad cætera animalia descendet, quibus hanc tantummodo intelligentiæ libertatisque suæ partem tribuet quæ eorum actibus satis esse videatur. Sic ante cæteras philosophiæ partes, quasi in ipso scientiæ vestibulo psychologiam constituimus, et e principiis, aut non satis confirmatis, aut, quia plura comprehendant quam ut facile percipiantur, vagis et ambiguis, magno inanium distinctionum apparatu, nihil demum expediri credimus præter vanam scientiæ umbram, rerum veritati alienissimam. Quid enim istarum *de conceptu*

entis (Lib., t. 1, cap. 1, art. 1), *de existentia et essentia* (*ibid.*, a. 2), *de distinctione essentiæ ab existentia* (*ibid.*, a. 3), *de actu et potentia* (*ibid.*, a. 4), disputationum amicos certos facit rebus ipsis respondere illas, quas citra experientiam, per solam abstractarum notionum analysim, *categorias* aut *formas* constituunt, quum ne illis quidem per genera et species divisionibus, quas recentiores physicarum rerum observatores, non nisi post longam sedulamque singulorum corporum considerationem, instruunt, certum sit naturæ vim vere totam circumscriptam fuisse? At enim institutam ab Aristotele, acerrime, haud dubie, naturam scrutari solito, doctrinam quum suscepissent scholastici, hanc tantummodo perficere conati sunt. — Quin igitur eum imitantes quem sibi magistrum elegerant, ipsi quoque in rebus ipsis rerum principia deprehendere tentaverunt?

Præterea indagandi viam præpostero, ut ita dicam, ordine eos sequi existimaverim, qui, ut Angelicus Doctor, ab externa natura ad internam intelligendam proficiscuntur, quasi quid esset homini homine ipso notius. Res enim extra nos positas eo tantum pacto intelligimus si nosmet ipsos quodammodo referant, adeo ut famosam hanc sententiam, internam scilicet hominis naturam nihil aliud esse nisi inversam externæ naturæ similitudinem, ita mutandam crediderim ut de rebus cunctis dicatur, per scientiam, humani animi et rerum quas vel agit, vel patitur, imaginem in externa natura quæri. Nempe cur cæteris rebus subesse tanquam suppositum quoddam arbitramur, nisi quod personam nostram omnibus quæ aut patimur, aut agimus, semper eamdem subesse sentimus? Cur, quodlibet extra nos factum e causa oriri judicamus, nisi quod nosmet ipsos quorumdam effectuum causam esse conscii sumus? Qua-

propter animæ studium volumus initium esse unde quasi e nota et pervia regione in arduam obscuramque metaphysicæ regionem tendere oporteat; nihil contra veræ investigandi rationi magis adversum videtur quam si quis hominis naturam per ea quæ de *materia* et *forma substantiali*, aut *accidentali* excogitaverit, explanandam susceperit, quod est proprie obscurum per obscurius explanare.

Hanc tamen consuetudinem, ut scholastici omnes, S. Thomas secutus est, qui de illa *materia prima*, quam, quamvis nihil sit, omnium principium esse arbitratur, ita dixit ut vix intelligere possim quomodo non suspicatus sit aliud philosophiæ initium sumendum esse :

« Natura, inquit, quæ primo subjicitur mutationi, id » est, materia prima, non potest sciri per se ipsam, quum » omne quod cognoscitur, cognoscatur per suam formam, » materia autem prima consideratur subjecta omni formæ, » sed scitur secundum analogiam, id est, secundum pro- » portionem (In 1° *Physicorum*, lect. 13). »

Quin obscuram hanc notionem negligens, per hominem quem novimus aut cognoscere possumus, ad cæteras quæstiones aditum sibi facit? Quod adeo non agit ut contra hominis ipsius scientiam e metaphysicis principiis hauriat. Sic quamvis multa de iis scripserit quibus constat ea quæ a recentioribus psychologia vocatur, deest tamen in eo psychologiæ methodus, citra quam absolvi nequit illa de Origine Idearum quæstio, quam præsentis opusculi materiam sumpsimus.

De hoc autem auctoris nostri vitio, fusius forsan quam optasses dicendum ideo credidimus quod idem apud Liberatore recentioresque S. Thomæ discipulos invenimus. Sic in suis *Institutionibus philosophicis* Liberatore, absoluta jam logica, *metaphysicam generalem* seu *ontologiam*, deinde

cosmologiam instituit; tunc demum hominis studium aggreditur; quod quo consilio aggressus sit id ipsum testatur quod psychologiam tanquam *metaphysicæ specialis partem alteram* (prior est *cosmologia*) inducat. Nec a titulo discrepare librum videbit quicumque hunc legendum susceperit.

§ 2.

De Materia et Forma.

Eo apud S. Thomam vinculo cohærent philosophicæ quæstiones ut iis quæ de *materia* et *forma substantiali* aut *accidentali* dixerit, ea innitantur quæ de hominis natura proponit, et ex ea demum disciplina oriatur ejus quum *de potentiis animæ*, tum *de modo et ordine intelligendi* doctrina. Quum igitur quasi totius ædificii fundamentum sit ea de *materia et forma* disceptatio, ab ea initium facere cogimur. Attamen nobis consilium non est scholasticas de his quæstionibus disputationes, præter modum subtiles pertractare. Ne nobiscum lectorem in tenebricoso quodam quasi barathro diutius detineamus, satis erit dicere secundum scholasticos « corpora ex duplici principio conflari, altero » potentiali ac determinativo, altero actuali et determi- » nante, quorum primum materia, secundum forma substan- » tialis dicitur (Lib., t. 2, cap. 2, art. 1, 41). »

Quid est autem ea materia quam sæpe *primam* vocant? Hanc quasi suppositum quoddam corporibus subesse docet S. Thomas quæ scholastici *materiam secundam* aut *substantias* appellant. Sic si auream statuam sculptor fecerit, substantia non mutabitur; at si e substantia ad alteram substantiam fiat transitus, sicut quum, exempli gratia, lignum in cinerem conversum est, huic mutationi subest

materia prima; quæ igitur habenda est quasi vagum et indiscretum quoddam principium, ultra ipsa corpora situm.

« Materia, inquit S. Thomas, non est generabilis nec cor- » ruptibilis, quia omne quod generatur ex materia genera- » tur, et quod corrumpitur in materiam corrumpitur, quum » materia sit principium primum ex quo aliquid fit, et ulti- » mum in quod abit quod corrumpitur. Unde ipsa non nisi » in nihilum desinere potest (*Opusc. de Natura Mate- » riæ,* 32). » Hanc Liberatore dicit « esse aliquid ex quo » fit substantia (Lib., t. 1, p. 418). » Istius generis notionem, quæ aliquid proponat omni modo vel fine destitutum, recentiori physicarum rerum doctrinæ alienissimam, et nihil nisi inane verbum esse censet H. Martin, cujus judicio libenter assentimur (*Philosophie spiritualiste de la Nature,* t. 1, p. 244).

Nunc quid de forma judicandum sit S. Thomam interrogemus :

« Sicut omne quod est in potentia potest dici materia, ita » omne a quo habet aliquid *esse*, quodcumque *esse* sit » illud *esse*, sive substantiale, sive accidentale, potest dici » forma. Et quia forma facit *esse* in actu, ideo dicitur » quod forma est actus ; quod autem facit esse actu substan- » tiale, dicitur forma substantialis, et quod facit actu esse » accidentale, dicitur forma accidentalis (S. Th., opusc. 21, » *de Principiis Naturæ*). »

Quid autem inter *formam substantialem* et *formam accidentalem* intersit ita exponitur :

« Duplex est *esse essentiale* sive *esse substantiale* rei » ut *hominem esse* et hoc est esse simpliciter; est autem » aliud *esse accidentale,* ut *hominem esse album,* et hoc » est esse secundum quid *(ibid.).* »

Sic, ut ipsis S. Thomæ verbis hanc doctrinam referamus, *albedo* hominem non *esse, sed esse album* efficit; *albedo* igitur *forma accidentalis est,* nec *per se,* nec in *materia prima,* sed in subjecto est quod *forma substantialis* e *potentia* in *actum* antea eduxerit : « Forma, inquit, dat » *esse* materiæ; *accidens* autem non dat *esse* subjecto, sed » subjectum *accidenti (Ibid.).* »

Aristoteles quidem, qui hanc de natura rerum disciplinam scholasticis tradidit, a quibus immodica distinctionum multitudine ita exornata est ut inde cujuslibet quæstionis explicatio peteretur, Aristoteles, inquam, cum materia, quæ nihil nisi mera possibilitas est, ita formam copulavit ut e corpore, quod per eam hoc vel illo modo existit, distincta esset, sed extincto corpore separata non vigeret : unde homini, at saltem humanæ personæ, nullam philosophia ejus immortalitatem tribuit, quum, soluto corpore, nihil supersit præter intellectum agentem. Quæcumque vero ad physiologicam vitam pertinent, imo et sentiendi facultatem, et memoriam, et voluntatem, quasi communi principio, animæ proprie dictæ tribuit, quæ a corpore sejuncta vivere nequit. Quod christianæ fidei alienissimum quum admittere non possent scholastici, Aristotelicam tamen doctrinam retinentes, *accidens* quidem, si subjectum sustuleris, per se nullum esse docuerunt : « Accidens enim non dat *esse* » subjecto, sed subjectum accidenti *(loco supra citato);* » animam vero, quam corporis *formam substantialem* definiunt, immortalem esse, utpote quæ et simplex et spiritualis sit. Quibusnam argumentis hoc cum Aristotelicis præceptis conciliare conatus sit S. Thomas, vel quid de illa materiæ et formæ disciplina judicandum sit expendere, proposito nostro alienum foret : satis erit dicere a nobis nullo modo concipi posse has formas, citra quas nihil sit materia, quæ tamen eas ut vestes quasdam exuat, alias sumptura.

Talibus metaphysicæ principiis innixus, hominis scientiam ita aggreditur Doctor noster ut non aliter *de modo et ordine intelligendi* (*S.*, p. 1, q. 85) apud hominem, quem observando comprehendere potuisset, vel de *cognitione animæ separatæ* et de *scientia Angelorum vel Christi* disserat. Quem ordinem, soli theologiæ convenientem humanæque scientiæ alienissimum, apud recentiores ejus discipulos invenias. Sic enim de natura animæ quæstionem tractandam suscipit Liberatore :

« Quod anima humana sit aliquid, nempe *ens*, non nisi » ab insano in controversiam vocari posset. Id enim, intel- » lectis terminis, statim elucet hoc ipso quod nomine animæ » sumitur vitalis operationis principium. Entis enim » duntaxat est agere, nec, nisi everso contradictionis effato, » vis operandi nihilo concedi posset. At quum ens universe » dividatur in substantiam et accidens, utra harum notio- » num competat animæ fortasse quis ambiget (Lib., t. 2, » *Metaph. Spec.*, cap. 2, art. 1, 63, prop. 1). »

Quibus dictis, qualis sit animæ natura demonstrat, quam, ut scholastici omnes, corporis *formam substantialem* esse definit; nec, ut ipse merito animadvertit, intelligi potest ea definitio « nisi recolatur theoria de compositione substan- » tiali corporum. » Cui conditioni quum pro operis nostri necessitate satisfecerimus, facilius intelligetur S. Thomæ de natura hominis disciplina, ad explanandam nostram de Origine Idearum quæstionem non minus necessaria.

§ 3.

De Natura Hominis.

Hominem igitur sibi fingit S. Thomas ut e corpore et anima constantem, quarum partium neutra sit, ut dicunt scholastici, *substantia completa*. Corpus enim in homine si citra animam subsisteret, per aliam formam ab anima diversam *actuaretur;* quum ergo ei adjungeretur jam ante subsistenti, anima, *forma accidentalis*, non autem *substantialis* dicenda foret, quod tolerare minime possunt scholastici. Non equidem quod eam de corporis et animæ societate doctrinam, quæ in clericalibus scholis *unio substantialis* appellatur, a S. Thoma acceptam, argumentorum virtute adversus recentiores defendant : sed, admonente Liberatore, periculum est ne inter hæreticos annumeretur quicumque de hac quæstione a Concilii Viennensis et Lateranensis decretis, aut a Litteris Apostolicis ad Archiepiscopum Coloniensem contra Guntherianos a summo Pontifice Pio IX nuper datis discrepabit. Latiorem vero, et cum recentiorum doctrinarum necessitatibus facilius conciliandam, his documentis interpretationem, salva Ecclesiæ auctoritate, proponi posse eo libentius credimus, quod optimis argumentis philosophicæ de ea quæstione libertatis jura a viro prudentissimo H. Martin (*Les Sciences et la Philosophie*, essai 4, l'âme et la vie du corps, § 5) vindicata videmus. Quo enim modo de rebus quæ forsan pertinaci doctorum investigatione manifestæ erunt, theologorum auctoritate, ut de mysteriis, natura sua rationem superantibus, pronuntiari posset? Attamen, si Jesuitarum interpretationem accipere velis, Aristotelis vel potius S. Thomæ non modo de natura animæ, sed etiam de materia et forma disciplina, futuris scientiæ investigationibus, quasi confirmatæ jam veritatis adversus errorem munimentum oppositum est. Corpus igitur sine anima nihil esse existimant; itaque, quum dilapsa anima, non statim tamen aboleatur, tunc alteram formam, quam *cadavericam* appellari posse non infitiantur, apparere docent quæ profectæ animæ vicem excipiat; itemque, quum

corpus non statim totum post conceptionem quasi uno actu informetur, alias formas inducit S. Thomas, quæ ejus intra maternum uterum vitæ diversis vicibus ita præsint ut ubi perfectiorem vitæ gradum contigerit, quæ inferiorem gradum finxerat forma corrumpatur, donec, quum tandem absolutum est totum organismi opus, evanescente forma cujus virtute quasi ultima manus toti ædificio imposita est, adsit rationalis anima : « Quum generatio unius, inquit » S. Thomas, semper sit corruptio alterius, necesse est » dicere quod tam in homine quam in animalibus aliis, » quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris; ita » tamen quod sequens forma habeat quidquid habebat » prima et adhuc amplius. Et ita per multas generationes et » corruptiones pervenitur ad ultimam formam substan- » tialem... Sic igitur dicendum est quod anima intellectiva » creatur a Deo in fine generationis humanæ, quæ simul est » sensitiva et nutritiva, corruptis formis præexistentibus » (*S.*, p. 1, q. 118, a. 2). »

Sic quamvis et vegetativas, et nutritivas, et sensitivas animas Doctor noster admittat, de iis, si sententiam ejus sequaris, nihil in homine inquirendum erit, quum omnes inferiores formas perfectissima forma, anima scilicet intellectiva, in se complectatur et ad unitatem suam reducat. Hoc igitur in ea S. Thomæ doctrina laudandum existimaverim, quod rectam de animæ unitate opinionem proponit. Imo, quamvis, ut animadverterunt *vitalistæ* qui eum sibi vindicare voluerunt, de *organica cordis facultate* locutus sit, *animistis* tamen multo propior esse videtur quum nihil in corpore etiamque ne ipsum quidem corpus nisi per animæ virtutem esse doceat. Animam vero non *substantiam completam*, sed tantummodo formam esse vult, quæ a Deo ad eum præcipue finem creata sit, scilicet ut corpus informet, et cum

corpore, non solum, ut recentiores censent, ita jungatur ut arctissima societate ambo contineantur, unaque alterum moveat; sed si S. Thomæ scholasticorumque opinionem attentius perpendas, unam substantiam, unam personam anima corpusque efficiant : « Homo, inquit, ab ipsa anima rationali » perficitur secundum diversos gradus perfectionis, ut sci- » licet sit corpus, et animatum corpus, et animal rationale » *(S. Th., q. 9, Disput. de Anima).* — Anima illud esse » in quo subsistit communicat materiæ corporali ex qua et » anima intellectiva fit unum, ita quod illud esse quod est » totius compositi, est etiam ipsius animæ (*S.*, p. 1, q. 76, » a. 1). »

Hoc obiter animadvertere liceat, scilicet quantum inter S. Thomæ et recentiorum *animistarum* opinionem intersit, quum ii quidem pariter unum esse et *physiologicæ* et *psychologicæ* vitæ principium contendant, at corporeæ materiæ facultates inesse non negent quas physicis aut *chimistis* explanandas tradunt. Nos saltem eorum doctrinam, pro nostra parte, ita accipimus ut credamus, citra animæ operationem nonnulla in corpore fieri quorum ratio per physicam scientiam, quum altiorem perfectionis gradum consecuta erit, olim detegetur. Sic in homine, ut S. Thomas, primum esse principium animam existimamus; at quum famosum illud de *forma substantiali* propositum, nulla vel scientiæ vel Evangelii auctoritate, ut legem quamdam qua obligetur ingenium, commendari arbitremur, non res doctrinæ, sed doctrinam rebus accommodandam censemus. Itaque præter ea quæ vitam aut *physiologicam*, aut *sensitivam*, aut *intellectivam*, aut *voluntariam* constituunt, quibus unum principium præesse opinamur, alia quoque esse judicamus quæ, ut in cæterarum rerum, ita in corporis materia agantur, diversisque principiis tribui debeant, quæ, ut dilapsa per

mortem anima molem corpoream aliquantisper tuentur, ita præsenti anima, scilicet dum vivit homo, cum ea, sed distincte operantur. Quamvis, ut recte animadvertit S. Thomas, inferiora principia superioris principii manifeste vim subeant et ejus actione mutentur, quum non eadem sit viventis aut non viventis materiæ scientia, et tunc tantum proprium operandi modum repetant physicæ aut chimicæ vires quum anima non jam adsit : sic ad sanandos morbos parum valeat medicus qui eos solum tales noverit quales in cadavere per anatomiam deprehendi possunt, nec, ut eorum cursum ad sanationem regeret, quidquam principio tribueret peculiari quod vitam aut animam appellamus.

Tali modo interpretendam aut emendandam S. Thomæ disciplinam censemus; quam ita accipi non patitur Liberatore non equidem quod istis recentiorum argumentis meliora argumenta opponat; sed, inquit si ita esset, non vere dici posset anima *forma substantialis*, at potius *forma accidentalis*, quum non in materia sed in corporea substantia esset. Nec mutuam esse vult corporis animæque actionem, qua ambo jungantur : « Mutua actio, inquit, in qua vin- » culum collocatur, notionem accidentis non prætergre- » ditur (Lib., t. 2, cap. 3, art. 1, 90, prop. 2). »

§ 4.

De Potentiis quæ ad Compositum pertinent.

Qualis, secundum S. Thomam, homo sit jam nunc constat. Ex ea autem de natura humana disciplina oritur scholastica de sensatione philosophia. Quæ scholasticis, non, ut nobis, *psychologicum* aliquod factum est, physicis quidem et *physiologicis* conditionibus adstrictum, at soli animæ tanquam *subjecto* tribuendum. Nam, si S. Thomam sequaris,

« sentire est aliquid corporeum (*de Anima* 4), » vel, ut dicit Liberatore, sensatio facultas est *organica*, quæ nec ad solum corpus, nec ad animam solam pertineat, sed in *composito* versetur. Ne vero credatur ita accipi posse eam sententiam ut significet tantum animæ ad sentiendum quasi necessarium instrumentum esse corpus, complures locos referendi magna nobis copia est. Nam S. Thomas profitetur in homine principium esse omnino incorporeum : « Anima, inquit, humana » quæ dicitur intellectus est aliquid incorporeum (*S.*, p. 1, » q. 75, a. 2). » At deinde Platonem vituperat quod ut intellectum, sensationem quoque soli animæ tribuerit : « Plato, » inquit, distinxit inter intellectum et sensum; utrumque » tamen attribuit principio incorporeo, ponens quod sicut » intelligere, ita et sentire convenit animæ secundum se » ipsam (*S.*, p. 1, q. 75, a. 3). » Non equidem quod hanc Platonis opinionem cum rebus non congruere demonstret; at eam ideo tantum rejicit quia inde sequitur necessitas pecudibus ipsis, ut homini, animam concedendi a corpore distinctam. Pecudes enim sentiendi capaces esse manifestum est; si igitur sensationes ita concipias ut principium requirant a corpore distinctum, necesse erit ut in iis quoque animam agnoscas per se subsistentem vel *substantialem*, quæ extincto corpore non pereat. Nobis autem qualis post mortem pecudum animæ conditio sit nullo scientiæ lumine aperitur; at S. Thomæ, deficiente scientia, subveniebant theologiæ de hac quæstione decreta : « Contra est, inquit, quod dicitur in » libro *de Ecclesiæ Dogmatibus*, cap. 16 et 17. Solum » hominem credimus habere animam substantivam ; anima- » lium vero animæ non sunt substantivæ. » Itaque profitetur unam esse operationem, intellectivam scilicet, quæ soli animæ proprie tribui possit :

« Solum intelligere, inter opera animæ, sine organo cor-

» poreo exercetur ; sentire vero et consequentes operationes » animæ sensitivæ, manifeste cum aliqua corporea immu- » tatione, sicut in videndo immutatur pupilla per speciem » coloris, et idem apparet in aliis. Et sic manifestum est » quod anima sensitiva non habet aliquam operationem » propriam per se ipsam, sed omnis operatio animæ sensi- » tivæ est conjuncti (*S.*, p. 1, q. 75, a. 3). »

Si ergo S. Thomam sequaris, quodammodo dici potest materiam sentire ; at cur non dicas pariter materiam cogitare? Num verum est animam ad exercendam cogitationem corporis ministerio nullo modo indigere? Quod si ita esset, quonam pacto explanari posset cur ubi vel nerveum systema, vel cerebrum læsum fuerit, statim consequatur gravis in ipsa cogitatione perturbatio? Rursusque, cur, si vehementius exercita fuerit cogitationis operatio, et totum corpus, et maxime cerebrum ita fatigetur ut, si quibusdam physiologiæ experimentis credendum est, phosphori in cerebri materia admixti major quasi impensa fiat, haud dubie, si quis tunc urinæ naturam attentius observaverit, comprobanda? Operæ pretium est videre quomodo recentiores scholasticæ defensores hanc de organicis facultatibus disciplinam adversus eos tueantur qui physiologiæ addicti manifestius in diem fecerunt animam, vel in altissimis operationibus suis, corporis ministerio nunquam non indigere.

Hoc primo animadvertendum censemus S. Thomam scilicet, quamvis in sensatione tantas corpori partes tribuerit, ut illud, simul atque animam, ejus subjectum esse voluerit, nunquam tamen ad eam explanandam observatione usum esse. Id quidem in eo excusandum existimaverim, quum ejus temporis consuetudini aliena fuerit observatio. At quid de iis judicandum est qui nostra ætate, neglecta omnino physiologia, tractandam suscipiunt sensationem?

Ita tamen agit Liberatore, qui nunquam physiologiam respicere videtur, nisi invitus, ut argumenta refellere conetur quæ inde adversus scholasticam disciplinam peti possunt. *Sensatio*, inquit, *in organo perficitur ;* quod duobus argumentis comprobari posse existimat. Conscientia enim, inquit, testatur nos non per cerebrum, sed per oculos videre, per nares olfacere, etc., etc.

At conscientiam respondemus eam esse ut nullo modo testari possit quanam ratione efficiantur organorum operationes, quæ non nisi longa et ardua investigatione cognoscuntur. Observatione enim constat nullam effici oculorum sensationem, si quid eorum cum ea cerebri parte quæ *optica* dicitur societatem ruperit. Cogitur ergo Liberatore quamdam cerebro in sensatione partem concedere, « illiusque influxum » requiri ad exercitium sensationis » confitetur (T. 2, p. 198).

Attamen hanc sententiam tuetur : « Sensatio externa » non perficitur in sola anima, nec in cerebro, sed in » organis propriis singulorum sensuum. » Quia, inquit, si aliter se res haberent, « inutilis esset structura tam » artificiosa singulorum organorum, quum ad actionem » objecti cerebro transmittendam plene sufficiat simplex » systema nerveum, in superficiem corporis se diffun- » dens (*Ibid.*, p. 193). »

Huic argumento, minimi, ut nobis videtur, momenti, hoc principium supponitur, verum profecto et doctrinarum omnium concentu in diem magis confirmatum, cuncta in natura Summæ Prudentiæ ministerio ordinata esse; quod principium, ut utile erit si ad regendam observantis investigationem adhibeatur, ita periculosum fiet si quis eo utatur ad neganda ea quæ per experientiam constituta sunt. Num enim prudentiæ suæ consiliorum nos ita participes fecit

Deus ut affirmare possimus ea quæ, si humanam sapientiam respicias, optima videantur, vere optima esse, nec aliter disponi posse quin divinæ Sapientiæ minus respondeant? Profecto id non repugnat quod Liberatore objicit, scilicet ut Deus satis habere potuisset nerveum systema ad instruendam inter cerebrum et res externas communicationem. At experientia constat eum aliter egisse : satis igitur nobis sit oculi naturam et operationem scrutari, in quo instrumentum admiramur, omnibus iis quæ ad opticam arte humana fabricata sunt, longe præstans; et quum præterea manifestis observationibus certiores facti simus impressiones rerum externarum, qua moveantur sensitivi nervi, ad cerebrum tanquam ad communem officinam quamdam perferri, jure dicimus, invitis S. Thoma et Liberatore, « sensationem in cerebro exerceri. » Quo autem modo exerceatur, quod, ut videbimus, multis subtilibusque argumentis, quasi rem quæ intelligi possit, quum Liberatore, tum S. Thomas, explanare conantur, nos omnino ignorare et diu forsan ignoraturos, quodcumque e recentioribus investigationibus sperandum sit, humiliter confitemur.

At enim « illa opinio falso nititur supposito, nempe quod » anima non resideat in toto corpore, sed tantum in cere- » bro (Lib., t. 2, p. 193). »

Nos quidem nihil supponimus, at tantum experientia constituimus ad exercendas animæ operationes, tanquam peculiare necessariumque instrumentum comparatum esse cerebrum; hoc autem argumento minime terremur, scilicet ut illis observationibus in periculum adducatur famosa scholasticorum clericaliumque quorumdam nostræ ætatis philosophorum *de unione substantiali* doctrina, quum in talibus quæstionibus nullam esse doctrinam censeamus quæ invictæ rerum auctoritati præstare debeat.

§ 5.

Qualis inter organicas et inorganicas Facultates Conjunctio sit, et quomodo, secundum S. Thomam, constituatur humana Persona breviter exponitur.

Præter eas sensitivas facultates, quæ *in conjuncto* versantur, voluntariam et intellectivam potentiam habet homo; quæ quum ad animam solam pertineant, cum prioribus ideo junguntur quod ad intelligendum *phantasmatibus* eget, quæ per sensus suppeditantur. Quapropter, si S. Thomam sequi volueris, non miraberis cur, ubi aliqua perturbatione corpus laborat, ea e sensibus ad intellectum, quasi contagione quadam, perveniat. Sic ea *phantasmata*, quæ ad intelligendum necessaria contendit, tanquam vinculum sunt quo inorganicæ facultates cum organicis cohærent, quum nec intelligere nisi per phantasmata, sensuum ministerio allata, nec velle nisi prius intellexerit, homo possit. Quasdam igitur, in idearum formatione, corpori ipsi partes tribuit; nam, inquit, « dicendum est quod corpus requiritur » ad actionem intellectus, non sicut organum quo talis » actio exerceatur, sed ratione objecti; phantasma enim » comparatur ad intellectum, sicut color ad visum (*S.*, p. 1, » q. 75, a. 2). » Sic, in eodem loco, dici posse confitetur « animam intelligere, oculum videre; » sed, inquit, magis proprie dicitur quod « homo intelligat per animam » *(Ibid.)*. »

Nos contra in cognitione actionem totam soli animæ tribuimus, quæ nunc res corporeas per corporeas impressiones, quum illæ (quo quidem modo, nos nescire confitemur) spiritum moverunt, directe cognoscit; nunc multa quæ supra

corporum naturam posita sunt, propria ipsi virtute deprehendit. Itaque in corporum cognitione sensus tanquam instrumenta habemus, in altera autem cognitione, nunc conscientiam operari dicimus, nunc sensiles perceptiones quamdam quasi conditionem aut occasionem afferre qua innata mentis virtus excitetur et amotis quibusdam quasi nubibus, splendeat illa divini luminis particula cujus nos participes fecit summi Dei munificentia. Proprie igitur, et omnino proprie dictum, invito S. Thoma, existimamus, animam intelligere, in qua sola nisi hominem, at saltem *humanam personam*, totam ponimus.

Hanc, contra, ille non minus in corpore quam in animo versari docet. Nam quum præcipue de impugnando Averroïs pantheismate sollicitus esset, qui unam omnibus communem in cunctis hominibus vivere animam volebat, eo adductus est ut in materia, per eas formas quas animæ, primo generationis tempore, locum tenentes supra vidimus, jam signata, *individuationis*, ut dicunt scholastici, principium poneret. Sententia autem ejus, qualis nobis intelligenda videtur, sicut de cæteris quæstionibus, de hoc quoque a metaphysicis de materia et forma notionibus oritur. Nempe *formam substantialem* vult nullam per se diversitatem continere; vel potius, ut ejus verba referamus, *nec una, nec multiplex* dici potest : « Si quæratur, inquit, utrum ista natura (humanitas » scilicet) possit dici *una* vel *plures*, neutrum concedendum » est (S. Th., *de Ente et Essentia*, 4). » At in humanitatem ideo diversitas et multiplicatio inducta fuit quod ad distincta corpora distinctæ animæ creatæ sunt, singulæque ad singula corpora « coaptatæ et proportionatæ. » Sic, si ei credideris, in materia dici potest esse *individuationis principium*, quum Dei voluntate, quasi ad suum finem, ad hoc vel illud corpus vita donandum unaquæque anima creata fuerit. Unde,

ut Aristoteles, a quo adumbratam hanc disciplinam sumpsit, inferre debuisset nullam, sublato corpore, personam superesse. Quam necessitatem ut vitaret, hoc addidit, formam scilicet non materia, sed divina voluntate conditam esse, Deo, a quo creata est, quam materiæ, ad quam comparata est, natura sua propiorem; nullam igitur causam esse cur cum materia pereat : « Habet, inquit, anima alium modum essendi » quum unitur corpori et quum fuerit a corpore separata, » manente tamen eadem animæ natura. »

Nec ea animæ cum corpore conjunctæ natura personam constitui volunt scholastici, quam non magis in conscientia ponendam censet Liberatore, qui hanc Lockii doctrinam vehementer impugnat : « Personæ identitas, inquit, reponi » nequit in re quæ personæ identitatem subaudit. Atqui » conscientia sui ipsius ne cogitari quidem potest nisi antea » personæ identitas præsumatur. Et sane quo pacto conscire » possumus has aut illas actiones esse nostras, nisi nos reapse » iidem simus qui eas conscimus et qui eas emisimus ? »

Hoc quidem argumento nos minime notos fatemur; nam libenter adversario concedimus naturæ *identitatem* conscientia anteriorem esse ; at tunc tandem in homine jam subsistente personam constitui credimus, quum per conscientiam, se ipsum sentientem, intelligentem, libere volentem deprehendit, ita ut et actus aut affectus, et præter actus aut affectus, se ipsum agentem aut diversis modis affectum simul cognoscat. Sic, quamvis homo supersit, persona tamen aboleri potest; nec nos id terret quod tanquam absurdum aliquid doctrinæ nostræ inhærens nobis objicitur : « Ex Lockiano commento multa absurda profluerent; nam » in ea sententia deliri et amentes, qui præteritarum actionum oblivione capiuntur, in personam aliam converte- » rentur. » Amentem enim, non modo philosophia, sed

etiam leges nostræ censent personam suam deposuisse, non equidem ut alteram induat, quum nulla sit persona nisi in homine qui se per voluntatem suam ipse regat, non autem libidinibus suis et cæco cogitationum æstu hinc inde agatur, tanquam navis fluctibus sine rectore jactata.

Quod si denique a Liberatore petas in quo personam ponat, quam in conscientia esse nolit, et a natura non ratione tantummodo, sed etiam re ipsa discrepare affirmet, fatebitur « nos ex solis philosophiæ principiis adduci non posse ad » indubie prorsus et sine hæsitatione affirmandam realem » distinctionem subsistentiæ (vel personæ) a natura... » At adjectis principiis Fidei, qua docemur in Christo unitam » esse Verbo solam naturam humanam, non personam, » omnis dubitatio vanescere videtur (Lib., t. 1, p. 358). »

At nos, ut hanc theologiæ et philosophiæ indiscretam confusionem relinquamus, toti huic Thomistarum disciplinæ id objiciemus, personam scilicet, si metaphysica aut theologica principia omittens, observatione uti volueris, non in corpore, sed in anima, se ipsam et corpus cui adjuncta est libere regente, ponendam videri; itemque eam quam dicit S. Thomas *individuationem*, non materia, sed anima conditam esse. Si enim diversorum hominum corpora inspicias, eadem organa, iisdem materiæ elementis constituta, eosdem actus efficientia invenies. Sic, quum quænam sint Dei consilia et quomodo animas et corpora creaverit, nisi per conjecturam cognoscere queamus, observatione nobis comprobatum videtur non in corpore sitam esse differentiam qua unus ab altero discriminetur.

Id tantummodo, explanandæ Idearum Origini, qualis a S. Thoma proponitur, omnino necessarium, hactenus constitutum volumus, scilicet ex ea doctrina, in homine non duas, sed unam esse substantiam, e *materia* et *forma*

substantiali conflatam; quæ forma corpori, non ut vis quædam instrumento utens inest, sed materiam corpoream informat, totamque ita penetrat ut cum ea confundatur :

« Forma, inquit, per se ipsam facit rem esse in actu, » quum per essentiam suam sit actus; nec dat esse per » aliquid medium. Unde unio rei compositæ ex materia et » forma, est per ipsam formam quæ secundum se ipsam » unitur materiæ ut actus ejus (*S.*, p. 1, q. 96, a. 7). » Quod aliis verbis Liberatore exprimit probatque : « Causalitas materiæ et formæ, inquit, non consistit in aliqua » actione unius in aliam, sed in mutua communicatione » propriæ entitatis per immediatam unionem unius cum » alia (Lib., t. 1, p. 420). »

Non igitur inter animam corpusque Thomistæ hoc discrimen constituunt, quo duos, ut ita dicam, mundos sibi fingunt recentiores philosophi, proculque abest illa Cartesiani *dualismi* disciplina, ad quam, nostra ætate, physicarum non minus quam philosophicarum doctrinarum processu sensim reducti videntur clarissimi viri. Sic quodammodo materiam vivere et sentire dici potest, quum in *conjuncto* sint istæ organicæ facultates, scilicet, secundum S. Thomam : *facultas vegetativa*, quæ in tres species distinguitur, nempe in *nutritivam*, *augmentativam* et *generativam*; *facultas sensitiva*, quæ quinque sensus exteriores, et quatuor sensus interiores, nempe *sensum communem*, *phantasiam*, *æstimativam*, et *memoriam* complectitur. Quarum facultatum, quamvis in *conjuncto* sint, ut earum quæ in spiritu positæ sunt, anima non equidem *subjectum*, sed *principium* est :

« Quædam, inquit, operationes sunt animæ, quæ exer- » centur per organa corporalia, sicut visus per oculum, » auditus per aurem; et simile est de omnibus aliis opera-

» tionibus nutritivæ et sensitivæ partis. Et ideo potentiæ » quæ sunt talium operationum principia, sunt in conjuncto » sicut in subjecto, et non in anima sola. Ergo dicendum » quod omnes potentiæ sunt animæ, non sicut subjecti, sed » sicut principii, quia per animam conjunctum habet quod » tales operationes operari possit (*S.*, p. 1, q. 77, a. 5). »

Quam doctrinam quum sequatur Liberatore, adversus Lockium hoc confirmare nititur, scilicet « absolutam » materiæ cogitantis repugnantiam; » ipse enim, ut Aquinas, docuit « propriam animæ operationem esse » intelligere; » sed id Lockio concedit : « Si nomine » cogitationis intelligitur non operatio mentis, sed tantum » perceptio sensitiva, hæc competere potest materiæ, non » vi materiæ, sed vi principii alicujus simplicis et actuosi » quod materiam informet (Lib., t. 2, p. 270). » Quod quum principiis suis admittere cogatur non jam videmus quonam jure Lockii propositum absurdum dicere sustineat, quum præsertim ipse sensationem cognitionem esse censeat.

Tales in angustias se immittunt nostræ ætatis scholastici, qui Aristotelicam S. Thomæ philosophiam simul integram servare, et se ab iis quos vocant *sensualistas* aut *materialistas* defendere laborant. Illi enim non magis quam S. Thomas arbitrantur materiam per se ipsam, sine ullius principii virtute, sentire et intelligere, et eo tantum a scholasticis discrepant quod de hoc principio per quod materia sentit et intelligit supervacaneam et veræ scientiæ alienam omnem inquisitionem existimant. Nos contra, ut Plato et S. Augustinus, animam solam tanquam instrumento corpore utentem, quocum, quanquam penitus distincta, intimam societatem inivit cujus conditiones omnino ignoramus, et sentire et intelligere credimus, ita ut nullomodo quod scholastici vocant *suum esse* ei communicet. Menti enim

nostræ nihil nisi inanem et rationi repugnantem fictionem ostendi fatemur hujus naturæ descriptione, cujus pars inferior aliquid nec corporeum nec incorporeum esse videatur, spiritualis vero pars superior, quæ cum inferiore unum efficiat, nec tamen cum ea nisi per *phantasmata* consocietur. Hominem purum spiritum esse non credimus; imo, corporis consortio quasi gravatam non magis juvari quam impediri animam existimamus, quod nobiscum S. Thomas, psychologiæ suæ nonnunquam, ut videbimus, immemor confitetur: Animus, inquit, a corpore separatus « liberior est ad intel- » ligendum, in quantum non amplius per gravedinem et » occupationem corporis a puritate intelligentiæ impeditur » (*S.*, p. 1, q. 80, a. 2). » Sed vel in præsenti conditione hanc animæ humanæ naturam vindicamus quam solis Angelis concedit :

« Substantiæ spirituales inferiores, scilicet animæ, habent » esse affine corpori, in quantum sunt corporum formæ; et » ideo ex ipso modo essendi competit eis ut ex corporibus » et per corpora suam perfectionem intelligibilem conse- » quantur; alioquin frustra corporibus unirentur. Substan- » tiæ vero superiores, id est Angeli, sunt a corporibus » totaliter absolutæ, immaterialiter et in esse intelligibili » subsistentes; et ideo suam perfectionem intelligibilem » consequuntur per intelligibilem effluxum quo a Deo spe- » cies rerum cognitarum acceperunt simul cum intellec- » tuali natura (*S.*, p. 1, q. 55, a. 1). » Sic de Angelis vera est ea idearum innatarum doctrina, quam de hominibus rejiciunt scholastici.

---

§ 6.

Quid de Facultatibus aut Potentiis sentiat S. Thomas.

Post eas jam dictas *vegetativas* et *sensitivas* facultates, nominantur *intellectiva*, quæ *intellectum possibilem* et *intellectum agentem* complectitur, denique *appetitiva*, quæ dividitur in *appetitum sensitivum* et *appetitum intellectivum*, qui dicitur etiam voluntas. « Omnes potentiæ » dicuntur esse animæ, non sicut subjecti, sed sicut principii, » quia per animam conjunctum habet quod tales operationes » operari possit. Et omnes hujusmodi potentiæ prius sunt in » anima quam in conjuncto, non sicut in subjecto, sed sicut » in principio (*S.*, p. 1, q. 77, a. 5). »

Ideo igitur animæ unitas simplicitasque cum potentiarum ejus multiplici diversitate, secundum S. Thomam, conciliatur, quod omnium non equidem subjectum, sed principium est; ea enim corporeæ materiæ et *esse*, ut dicunt scholastici, et virtutem ad quasdam operationes necessariam impertitur. Quo autem modo ab animi essentia, unde oriuntur, illæ potentiæ distingui debeant, subtilioris metaphysicæ considerationibus demonstrat S. Thomas. « Impossibile est, inquit, » dicere quod essentia animæ sit ejus potentia (*S.*, p. 1, » q. 77). » In Deo solo idem esse vult *actum* et *essentiam*, scilicet Deum esse *actum purum*, quod nec de homine, nec de Angelo etiam jure asseri potest. Id vero intelligi nequit nisi prius in memoriam revocaveris Peripateticam, quam sequitur S. Thomas, de *actu* et *potentia* doctrinam.

Primo igitur animadvertendum est actum definiri non posse, quod nihil simplicius occurrat quo definiri possit. « Prima simplicia definiri non possunt, quum non sit in » definitionibus abire in infinitum. Actus autem de primis

» simplicibus est; unde definiri non potest. Sed per propor- » tionem aliquorum duorum ad invicem potest videri quid sit » actus. Ut si accipiamus proportionem ædificantis ad ædifi- » cabile, et vigilantis ad dormientem, et ejus qui videt ad » eum qui habet oculos clausos, quum habeat potentiam » visivam, et ejus quod per operationem artis vel naturæ » formatur (*Metaph.*, lib. 7, lect. 5). »

Actus igitur definiri non potest; at per eum definitur potentia, qua, quoad rationem, non autem quoad tempus, prior est : nam ad actum ordinata est potentia. Inde sequitur omnem creaturam, utpote quæ mutabilis sit, actu et potentia constare. Id enim mutatur quod aut ea quæ antea non habebat aliquando recipit, aut quæ antea habebat aliquando amittit. *Actus* vero est id quod in rem quæ non habebat antea inducit, aut e re quæ habebat antea detrahit. Res quæ aut accipit aut amittit per *actum*, *potentia* dicitur. Itaque unus Deus, utpote qui nullomodo mutari possit (mutationi enim repugnat perfectionis notio), non e *potentia* et *actu* constat, et quum nihil vel amittere, vel accipere possit, *potentiam*, passivam saltem, nullam habet.

Nam duplex est *actus*, duplex potentia : « Potentia, » inquit, dicitur ab actu; actus autem est duplex : scilicet, » primus, qui est forma, et secundus, qui est operatio. Et » sicut videtur ex communi hominum intellectu, nomen » actus primo fuit attributum operationi : sic enim quasi » omnes intelligunt actum. Secundo autem exinde fuit » transmissum ad formam, in quantum forma est princi- » pium operationis et finis. Unde et similiter duplex est » potentia : una activa, cui respondet actus qui est operatio, » et huic primo nomen potentiæ videtur fuisse attributum; » alia est potentia passiva, cui respondet actus primus qui » est forma, ad quam similiter videtur secundario nomen

» potentiæ devolutum. Sicut autem nihil patitur nisi ratione » potentiæ passivæ, ita nihil agit nisi ratione actus primi » qui est forma (S. Th., *Qq.* 9, *Disput.*, quæstio 1, *de* » *Potentia Dei*, art. 1). »

Unus Deus *actualissimus* est; in eo solo, si non dubites te in eas Aquinatis argutias immittere, quas alendis ingeniis et emendandæ temporum improbitati aptissimas judicant recentiores scholasticæ philosophiæ fautores, in Deo solo, inquam, non distinguuntur *essentia* et *existentia*, quæ in omni creatura, non tantummodo logica, sed re discernuntur. Unus enim Deus, quidquid est, per se est, nec quidquam ab altero assumit; in eo eminet absoluta simplicitas, a qua cætera omnia magis minusve discrepant, ut in creatione altiorem aut inferiorem perfectionis gradum consequuntur. Nam in iis separatim considerari possunt hinc *potentia*, quæ *essentia* est qua unumquodque hunc aut illum existendi modum habet, inde *actus* cujus vi unumquodque per causam producitur et existit. Quapropter, si quid inter illas tenebras intelligi potest, *essentia* et *existentia* compositum est quidquid a Deo creatum est, qui solus, utpote qui nihil extrinsecus petat et cuncta operetur, *essentiam*, *existentiam*, *actum* et *potentiam* absoluta simplicitate sua contrahit et complectitur.

Nunc tandem intelligi potest quonam a metaphysica sumpto argumento S. Thomas, quum hanc sibi quæstionem proposuerit, scilicet « utrum ipsa essentia animæ sit ejus » potentia (*S.*, p. 1, q. 77, a. 1), » probare voluerit ab essentia animæ distinctam esse ejus potentiam :

« Quum, inquit, potentia et actus dividant ens et quod- » libet genus entis, oportet quod ad idem genus referantur » potentia et actus; et ideo si non est actus in genere subs- » tantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum, non potest » esse in genere substantiæ. Operatio autem animæ non est » in genere substantiæ, sed in solo Deo operatio est ejus » substantia; unde Dei potentia, quæ est operationis princi- » pium, est ipsa Dei essentia; quod non potest esse verum » neque in anima, neque in alia creatura, ut supra etiam » de Angelo dictum est (*S.*, p. 1, q. 77, a. 1). » Sic a Dei notione ad explanandam hominis naturam descendit Angelicus Doctor, nec unquam, ut recentiores, quæ per observationem deprehendi possunt observando aggreditur.

Quod autem metaphysicis principiis jam dijudicavit, experientia demonstrare tentat : « Secundo, inquit, hoc » etiam impossibile apparet in anima. Nam anima secundum » suam essentiam est actus. Si ergo ipsa essentia animæ esset » immediatum operationis principium, semper habens animam » actu haberet opera vitæ, sicut semper habens animam » actu est vivum (*Ibid.*). » Inde oritur hæc nostræ quidem sententiæ omnino repugnans doctrina, scilicet ab animæ essentia, non modo logica, sed etiam re, distinctas esse ejus potentias, vel, ut dicimus, facultates. Quales demum sint si S. Thomam interrogaveris, eas videbis aut *accidentis* naturam habere, aut potius « esse medias inter substantiam » et accidens. »

Ejusdem modi argumentis, citra observationem, plures esse animæ potentias constituit, huic a priori principio innitens, majoris scilicet perfectionis esse paucis quam pluribus motibus inferiorem altioremve finem contingere : « Summa, inquit, perfectio invenitur in his quæ absque » motu perfectam possident bonitatem. Sicut infime est ad » sanitatem dispositus qui non potest perfectam consequi » sanitatem, sed aliquam modicam consequitur paucis » remediis ; melius autem dispositus est qui potest perfectam » consequi sanitatem, sed remediis multis ; et adhuc melius

» qui remediis paucis; optime autem qui absque remedio
» perfectam sanitatem habet. Dicendum est ergo quod res
» quæ sunt infra hominem quædam particularia bona
» consequuntur, et ideo quasdam paucas et determinatas
» operationes habent et virtutes. Homo autem potest conse-
» qui universalem et perfectam bonitatem, quia potest
» adipisci beatitudinem. Est tamen in ultimo gradu secun-
» dum naturam eorum quibus competit beatitudo, et ideo
» multis et diversis operationibus et virtutibus indiget
» anima humana; Angelis vero minor diversitas potentiarum
» competit. In Deo vero non est aliqua potentia vel actio
» præter ejus essentiam. »

Ex his omnibus manifestum est quantum inter nostram et S. Thomæ de facultatibus animæ disciplinam intersit. Nam ut in eis maneamus quæ per observationem cognosci possunt, animam dicimus diversis actibus aut affectibus se exhibere, diversisque illis actibus aut affectibus diversas respondere facultates, vel ad agendum et patiendum habilitates, opinamur. Quas quidem ab essentia animæ non distinctas intelligimus, quum per eas omnes sese expromat commune multorum diversorumque actuum principium. Hanc opinionem optime a Bossuetio propositam fuisse censemus, quum dixerit sensibilitatem, intelligentiam voluntatemque nihil aliud esse nisi animam ipsam, vicissim spectatam prout eadem sentiat, intelligat velitque. Itaque non in potentiis aut facultatibus versari debet scientia, quæ nihil aliud sint nisi ejusdem principii multiplices habitus, sed de ipsa anima ejusque actibus aut affectibus. Non quod iis ætatis nostræ recentioribus philosophis omnino assentiar, qui facultates nihil aliud esse arbitrantur nisi nomina, ad ordinandam multiplicem rerum diversitatem inventa: his enim nominibus reapse aliquid respondere credo, quum significent

animæ inhærentes diversas ad diversos actus affectusve habilitates. At omnino inanes esse videntur istæ potestates quas quasi medium aliquid inter animæ essentiam et ejus actus instituunt scholastici, nulla quidem experientia freti, sed tantummodo ut metaphysicæ suæ de *essentia* et *existentia*, de *potentia* et *actu* præstitutas notiones tueantur.

Sic inter recentiores scholasticos Caietanus Sanseverino, quum hanc a S. Thoma assumptam distinctionem defendere conetur, ita argumentatur: « *Esse* et *agere* in anima per-
» inde ac in qualibet re creata realiter distinguuntur, quia
» in Deo tantum, propter infinitam ejus simplicitatem infi-
» nitamque perfectionem, *esse* atque *actio* unum idemque
» sunt. Atqui *esse* est actus *essentiæ*, *agere* autem est
» *actualitas potentiæ*. Ergo, si *esse* et *actio* realiter dis-
» tinguuntur, necesse quoque est ut *essentia* et *potentia*,
» a quibus tanquam a principiis illi actus promanant, inter
» se realiter distinguantur (Sanseverino, t. 1, *Dynamilo-
» gia*, cap. 1, art. 2, 6). » Unde infert *Pantheistas* esse aut ad Pantheismum vergere eos qui « ablata hac distinc-
» tione, ea quæ unius Dei propria sunt, nempe *esse* et *agere*
» non distingui, et operationes esse aliquid substantiale,
» animæ tribuant. Quapropter animam, ut illi blaterant,
» ipsum Deum esse dicendum foret (*Ibid.*). »

Hujus vero conclusionis nullam esse necessitatem nos contendimus, quum ab absoluta Dei simplicitate et perfectione magno intervallo humanam animam ideo distare doceamus quod primum libero Dei decreto extra divinam essentiam creata et constituta sit animæ essentia, deinde quod in animæ simplicitatem quamdam defectionem multiplicitatemque inducant, quum corporis, quocum jungitur, consortium, tum diversæ operationes inter quas vel ad cognos-

cendum, vel ad agendum, vires suas dispertitur, tum id denique quod, quanquam una per totam vitam servatur, attamen non semper sui conscia sit, nec, ob memoriæ infirmitatem, præteritum tempus integrum complectatur. Sic, etiamsi doctrina nostra accipiatur, tantum inter Deum et creaturam discrimen relinquetur, ut Deo soli vere et plene conveniant hæc verba : « Ego sum qui sum. » Itaque nulla ratione fundatam credimus hanc Pantheismi incusationem a Sanseverino illatam.

Si autem ad experientiam nos vocent adversarii nostri, nullum in secundo argumento a S. Thoma illato momentum invenimus : « Si, inquit, ipsa essentia animæ esset imme- » diatum operationis principium, semper habens animam » actu haberet opera vitæ, sicut semper habens animam » actu est vivum (*S.*, p. 1, q. 77, a. 1). » Nam quod nobis ut absurdum aliquid ita objicitur, nos verum esse observatione comprobamus. Nempe quum animæ essentiam activam esse doceamus, hujus actionem ne in altissimo quidem somno omnino cessare simul dicimus, et, si quid a recentioribus qui de somno et somniis scripserunt factum est, haud dubie demonstramus.

§ 7.

De Ordine inter Potentias existente.

Constituta animæ et ejus potentiarum notione, qualis inter eas ordo sit ita demonstrat S. Thomas ut priori quæstioni hæc quoque inniti videatur, et inde oriatur tota ejus de Idearum Origine disciplina. Nam quum nos animam ipsam omnium quæ agit causam, omnium quæ patitur subjectum esse credamus, eam in omnibus totam adesse censemus nec nisi per abstractionem ea dividi posse quæ

singulis ejus potentiis tribuimus. Sic in psychologorum libris, non autem in vita ipsa apparent quum sensationes ab intellectu distinctæ, tum voluntarii actus citra intellectum considerati, quæ omnia in vitæ cursu sese invicem penetrant miscentque. Sic quoque per synthesim quamdam primum cognitionis gradum prodire putamus : nam si rationem consulas, facile videbis intellectus naturæ conveniens esse, quum activus sit, omnes simul potentias suas exercere confuso quodam modo, et per omnes simul propositas res comprehendere, donec experientia admoneatur hanc naturæ nostræ infirmitati ineluctabilem impositam esse necessitatem, scilicet ut de nulla re claram certamque notionem consequi possimus, nisi per analysim, ad synthesim, illi quidem synthesi omnino dissimilem per quam incepimus, viam nobis paraverimus. Tunc enim, voluntate intellectum regente, ita ut quam plenissime expleatur illa innata nobis cupido qua ad cognoscendum incitamur, ab eo ordine quem inconsulte primo secuti sumus, longe diversus ordo apparet. Et hanc veram esse intellectus humani historiam, exemplis comprobari potest. Nam et nisi voluntas adsit, qua inter sensus nostros unus eligatur, quem separatim quasi testem interrogemus audiamusque, omnium simul affectibus movebimur ; et occurrente re qualibet, de ea summatim primo judicamus, antequam singulis ejus partibus vicissim consideratis, inde singulæ ideæ in nobis gignantur, quibus rursus inter se collatis nova judicia conflabuntur. Itaque, quoad Originem Idearum, ante ideam judicium ponimus, quo per analysim soluto, tanquam abstracta ejus elementa apparent ideæ ; quarum originem si quærere velis, alias, de rebus *contingentibus*, diversis quibus constat experientia facultatibus, tribuendas videbis, alias, scilicet de rebus necessariis, per eas quibus constat experientia facultates, explanari non posse,

et altiorem quamdam sui generis potentiam requirere. Hanc recentiorum philosophorum et nostram quoque sententiam his paucissimis verbis breviter revocandam censuimus, quo manifestius esset quantum ab ea discrepet S. Thomæ scholasticorumque disciplina :

« Quum, inquit S. Thomas, anima sit una, potentiæ vero » plures, ordine autem quodam ab uno in multitudinem » procedatur, necesse est inter potentias animæ ordinem » esse (*S.*, p. 1, q. 77, a. 4). » Diversum hunc ordinem esse docet, prout vel naturam, vel generationem et tempus consideres.

Secundum naturam, quum « perfecta sint imperfectis » priora, potentiæ intellectivæ sunt priores potentiis sensi- » tivis, unde dirigunt eas et imperant eis. » Itaque « sensus, » inquit, est propter intellectum, et non e converso. Sensus » etiam est quædam deficiens participatio intellectus, unde » secundum naturalem originem, quodammodo est ab » intellectu, sicut imperfectum a perfecto. »

At si generationem et tempus, ut dicit, consideres, inversum hunc ordinem invenies : « Potentiæ animæ nutritivæ, » inquit, sunt priores in via generationis potentiis animæ » sensitivæ, unde ad earum actiones præparant corpus, et » similiter est de potentiis sensitivis respectu intellectiva- » rum. »

Recte igitur a superiori quodam principio totam cognitionem decurrere animadvertit, ad quod tanquam ad finem suum comparatas fuisse docet inferiores potestates ; imo, si tempore tantum sensus intellectu priores esse doceret, quod e loco citato inferri posse videtur, ei assentire non dubitaremus ; nos enim ad expromendas altiores animæ potentias, necessarios esse credimus quosdam quasi sensuum stimulos : at stimulos tantum, e nostra doctrina, afferunt sensus, non

autem elementa quæ industria quadam elaborata, quasi materia sint ex qua confletur rationalis cognitio. Ut demonstretur an cum hac nostra opinione conciliari possit S. Thomæ de cognitione sententia, attentius scrutari jam nunc debemus quales sensibus partes tribuat, et quam inter sensus et intellectivas potentias societatem instituat.

« Est naturale homini, inquit, ut per sensibilia ad intelli- » gibilia veniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium » habet (*S.*, p. 1, q. 1, a. 9). » Quod, ut jam diximus, tum quia hanc ab Aristotele sententiam accepit, tum e sua de homine doctrina consequens, non equidem observatione comprobandum suscipit, sed quasi mathematicorum effatorum more proponit : « Unumquodque, inquit, similiter habet » esse et operationem. » Si igitur memoria teneas quæ, ut dicunt scholastici, de *composito humano* supra retulimus, facile concipies cur S. Thomas, ut secum constaret, ita debuerit sensus quasi necessariam intellectus actioni conditionem præponere. Humanus enim intellectus, quamvis non sit, ut sensus, in *conjuncto*, attamen non est *substantiis* annumerandus ; per se non subsistit, et quanquam cæteris potentiis superior, potentiarum generi adscribendus est, quæ quum sint, ut vidimus, medium aliquid inter *formam substantialem* et *accidens*, non nisi in præstituto quodam subjecto versari possunt. Quapropter, ut in conjuncto subsistit materiam informans principium sensitivum, sic rursus in principio sensitivo subsistit intellectus. Ita quoad tempus et generationem, nutritivas et augmentativas potentias sensitivis priores invenimus, et ipsas sensitivas ante intellectuales ; nam, ut Aristoteles, prius animal quam hominem generari censet Aquinas. Ergo secundum naturæ ordinem, ut dicit, id est, prout erga perfecta se habent imperfecta, aliæ ex aliis oriuntur animæ potentiæ, et omnes inferiores e su-

periori defluunt, ad quam, ut dicimus, tanquam ad finalem causam suam comparatæ sunt; at secundum tempus et generationem, inversum hunc ordinem esse docet : « Secun- » dum viam susceptivi principii, inquit, e converso potentiæ » imperfectioresinveniuntur principia respectu aliarum,sicut » anima secundun quod habet potentiam sensitivam, consi- » deratur sicut subjectum et materiale quoddam respectu » intellectus (*S.*, p. 1, q. 77, a. 7). »

Hanc igitur philosophiæ nostræ alienissimam sententiam tuetur Aquinas, scilicet intellectum in sensitivo principio subsistere, tanquam novum aliquid quod animæ, jam vitalibus et sensitivis potentiis munitæ, ut inchoati ædificii summum culmen, additum fuerit. Itaque, quamvis proprium intellectus objectum habeat, ab objecto sensuum omnino diversum, hoc nisi in re sensibili percipere non potest : « Operatio, inquit, proportionatur virtuti et essentiæ; » intellectivum autem hominis est in sensitivo; et ideo » propria operatio ejus est intelligere intelligibilia in phan- » tasmatibus (*de Memoria et Reminiscentia*, lect. 1). »

§ 8.

Quid per Sensus cognoscatur.

Quænam vero sint hæc *phantasmata* vel *quidditates* quæ intellectui sensus ministrant ut inde ideas expromat, sicut artifici materiam quamdam suppeditant inferioris ordinis opifices, unde ille, artis suæ miraculo, eximium opus educat, nunc nobis inquirendum est.

Sensatio quæ, ut supra diximus, tametsi e superioribus animæ potentiis decurrat, non in anima sola, sed in *conjuncto* subsistit, et in organo, non autem in cerebro perficitur, *secundum generationem*, primus cognitionis gradus,

et *secundum naturalem ordinem* quasi « deficiens intel- » lectus participatio habenda est. » « Sensus, inquit S. Tho- » mas, est quædam potentia passiva quæ nata est immutari » ab exteriori sensibili. Exterius ergo immutativum est quod » per se a sensu percipitur, et secundum cujus diversitatem » sensitivæ potentiæ distinguuntur (*S.*, p. 1, q. 78, a. 3). »

Cujus definitionis si singula verba perpendamus, quamvis sensationem *passivam* dixerit S. Thomas, non tamen hanc cum inertia conciliari posse existimavit, non magis quam intellectum sibi inertem finxit quum dixit ex Aristotele « intelligere est pati quoddam. » Nam quasi ut hujus interpretationis periculum vitaret, quam huic verbo scholastica philosophia significationem tribuat, ipse explanavit.

Tripliciter enim, inquit, dicitur pati : primo et *propriissime* « quando aliquid removetur ab eo quod convenit sibi » secundum naturam, aut secundum propriam inclinatio- » nem; » secundo « minus proprie dicitur aliquis pati ex eo » quod aliquid ab eo ipso abjicitur, sive sit ei conveniens, » sive non conveniens; » tertio « dicitur aliquis pati com- » muniter ex eo solo quod id quod est in potentia ad aliquid » recipit illud ad quod erat in potentia, absque hoc quod » aliquid ab eo abjiciatur : secundum quem modum omne » quod exit de potentia in actum potest dici pati, etiam » quum perficitur (*S.*, p. 1, q. 79, a. 1). »

Ideo igitur passiva dicitur sensatio quod ut e potentia ad actum transeat, necesse est afferatur, ut dicunt scholastici, *determinatio* quædam, vel, ut diceremus, incitatio quædam a rebus externis orta. At nos per hanc extrinsecus allatam incitationem vel impressionem credimus, occulta quadam naturæ lege, propriam animæ vim moveri, quæ, quum hujus conscia sit, hanc causæ extra ipsam positæ tribuat; ita ut se quidem noverit hoc aut illo modo affici, nec dubitare possit

quin externa sit horum affectuum causa : nam ipso conscientiæ actu, naturæ nostræ cum altera mutuum quasi commercium sentimus, quo una, ut ita dicam, se alterius finem constituat ; at quales in se sint illæ rerum externarum virtutes, vel, ut dicunt scholastici, « exteriora sen- » sibilia, » quibus afficimur, et an diversa diversis affectibus nostris respondeant, nos ignorare confitemur. Imo, recentiorum physicorum investigationibus comprobatum fuisse existimamus in externo mundo multa esse quæ « ordine ad » nos, » ut dicunt scholastici, non autem in se invicem differant.

At longe aliter ab Aquinate res proponuntur : nam, ex ejus disciplina, per externos sensus, non illatas organis nostris impressiones sentimus, quod internorum sensuum proprium munus esse vult ; non magis « sensibilium quali- » tatum naturas » cognoscimus, quas per intellectum solum deprehendi censet, sed « immutativum aliquid quod proprie » et per se ad sensum pertinet. »

Hoc immutativum, vel *immutatio*, vel *species intentionalis sensibilis*, prout ad diversos sensus pertinet, diversum est. « Una enim, inquit, immutatio naturalis est, » et alia spiritualis (*S.*, p. 1, q. 78, a. 3). » Hanc *naturalem* appellat per quam « forma immutantis recipitur in » immutato secundum *esse* naturale, sicut calor in » calefacto. » Non alia est igitur illa *naturalis immutatio* quam id quod vocant recentiores *organicam impressionem*, quam omnis sensationis necessariam esse conditionem rerum experientia comprobant, sive, ut in *hallucinationibus*, aut e morbido quodam humani corporis principio, aut ex ipsa ægrotantis animæ virtute ad organum inferatur, sive ab externis causis, ut in solito rerum cursu, oriatur. Hanc igitur impressionem, si recentiorum philosophiæ assentiaris, ubi per nerveum systema in cerebrum vis ejus diffusa est, et animæ, ad sentiendum aptæ, virtutem concitavit, nullo præterea inter objectum et animam interposito principio, sensatio sequitur, per quam nosmet ipsos externo objecto motos cognoscimus.

At, secundum S. Thomam, non sufficit ea naturalis immutatio : « Ad operationem sensus, inquit, requiritur » immutatio spiritualis per quam intentio formæ sensibilis » fiat in organo sensus (*S.*, p. 1, q. 78, a. 3). » Adeo non, ut quidam S. Thomæ interpretes, istæ immutationes ad nostram impressionem organicam reduci possunt, ut in visu nulla sit *naturalis immutatio*, solaque ad eliciendam oculi operationem sufficiat *intentio* vel *immutatio spiritualis;* nam in oculo non res ipsa oculum movet, sed tantum imago ejus in retina pingitur. Quod si eum interroges cur, præter *naturalem immutationem*, quam etiam in visu nullam esse docet, necessariam esse crediderit hanc quam dicit *spiritualem immutationem*, tibi respondebit in rebus quoque vita carentibus fieri eas impressiones vel *naturales immutationes*, nec tamen ullam oriri sensationem : « Alioquin, inquit, si sola immutatio naturalis sufficeret ad » sentiendum, omnia naturalia corpora sentirent dum » alterantur (*S.*, p. 1, q. 78, a. 3). » Et huic argumento a Liberatore id additum fuisse videmus, scilicet « nos ima- » ginis in retina depictæ non conscios esse; absurdum » autem esse videtur, inquit, ut quantumvis attentione » utamur, non consciamus objectum immediatum nostræ » visionis. »

At nos primo S. Thomæ respondebimus, ex eo quod vel in rebus anima carentibus fiant impressiones quas nulla sensatio sequatur, id tantum concludi posse has ad sensationem efficiendam non satis esse, nisi materia *naturaliter immu-*

tata ad animam viventem per nervos et cerebrum pertineat, quod nemo sane infitiabitur; non autem, si materia adsit animæ consortio utens, aliam conditionem requirendam esse. Præterea inter visum et cæteros sensus, quoad sensationis conditiones, non ea est differentia quam excogitavit Aquinas. Nam e lumine optici nervi extremitatem attingente, ejusdem generis incitatio oritur quam quum in aure *tympanum acousticusque nervus* aeria vibratione moventur; vel quum illi nervorum ramusculi incitantur qui prope cutis superficiem, variis intervallis disjuncti, inveniuntur, eadem causa, lumine scilicet, qua oculus movetur, adstante, diversum tamen affectum, nempe non luminis, sed caloris sensationem habemus. Imo, ne in gustu quidem vel in odoratu aliter se res habent, sive in ordine ad nos, sive in ordine ad objectum. Nam in gustu et in odoratu fit nervorum contactus et quorumdam elementorum propriis utrique organo humoribus solutorum; solutionem vero chimistæ docent rapida quadam corporeorum elementorum agitatione constare.

Physicarum igitur doctrinarum inventa potius quam inanes conjecturas si sequamur, quum istam *naturalis* et *spiritualis immutationis* distinctionem, tum *sensibilium qualitatum* laboriosam enumerationem, subtiliori analysi conditam omnino respuemus. Nam quoad sensibiles qualitates, verisimile est omnes nihil-aliud esse nisi diversos elementorum motus, diversis modis varia humani corporis organa afficientes; quoad autem *naturalem* et *spiritualem immutationem*, posteriorem nihil esse nisi vanam inutilemque scholasticæ subtilitatis machinationem censemus; et prioris, quæ a nostra impressione organica minime differt, necessitatem observatione demonstramus. Deinde, ut ad Liberatore veniamus, qui hic quoque veram magistri cui se addixit sententiam refert, quod ei laudi foret si hanc interpretandam,

non autem nostra ætate integram restituendam suscepisset, ab eo petemus num *sensibilis* quam defendit *intentionis* vel *immutationis*, magis conscii simus quam imaginis in retina depictæ? Præterea hanc docemus non, ut dicit Liberatore, sensationis objectum, sed tantummodo conditionem esse. Parvi itaque momenti sunt quæ addit argumenta, scilicet imaginem planam esse et inversa objecta referre. Quid enim si nos non hanc imaginem, sed per eam quam nervo imprimit luminis excitationem objecta videmus? Nec alias ipsi scholastici *spirituali immutationi* vel *intentioni sensibili* partes assignant: nam non speciem sensibilem, sed per speciem sensibilem objectum ipsum sensatione cognosci volunt. « Oculus, inquit S. Thomas, non » cognoscit lapidem secundum *esse*, quod habet in oculo, » sed per speciem lapidis quam habet in se, cognoscit » lapidem secundum *esse* quod habet extra oculum (*S.*, p. 1, » q. 14, a. 6). »

Sic ut fiat sensatio tria, secundum S. Thomam requiruntur, objectum scilicet, *immutatio spiritualis* vel *intentio sensibilis*, quam quoque *speciem sensibilem impressam*, vel *repræsentationem* vocat, denique corpus animatum et sensitiva potestate instructum. Nec ut unus inter recentes ejus interpretes (M. Rousselot), negandum est [quod dubium alter (M. Jourdain) esse censet] eum inter objectum et subjectum, quasi medium quoddam, *intentionem* instituisse. Cujus naturam explanare ideo arduum est quod absurdum nunquam plane concipitur. Est tamen aut esse videtur aliquid quum ab objecto, tum a subjecto distinctum; quod quidem objecti, ut dicit, *esse* non habet, quanquam, ab objecto oriens, tale comparatur ut id homini ostendat. Non enim *subjectiva*, secundum scholasticos, sensatio est, nec corporeas affectiones animo indicat, quod quasi proprium

munus horum sensuum est quos internos vocant. At objecta ipsa extra nos sita per *intentiones* cognoscimus quasi per nuntios quosdam, qui e rebus missi, in naturam nostram acciperentur. Nec illæ species Democriti et Epicuri corporeis elementis similes habendæ sunt, quum eas S. Thomas *spirituales* consulto dixerit ; nec magis credendum est eum ad *idealistarum* disciplinam inclinasse. Hoc enim suæ sensitivæ cognitionis explicationi periculum inesse non nescius, admissa hac intentionis necessitate qua ab objectis ipsis separaretur anima, in eas ultro se immisit angustias ut, aut sensibus et eo ipso toti cognitioni, quam sensibus tanquam primo fundamento niti existimavit, omnem auctoritatem fidemque detrahere, aut, quum altiori meditatione edoctus fuisset quid ex ista *intentionis* inventione deflueret, non modo inanem, sed etiam veritati funestam conjecturam respuere cogeretur.

Neutrum tamen fecisse videtur : at ambiguis et male cohærentibus explicationibus, simul disciplinam suam defendere, et apertum proprio vitio scepticismi gurgitem vitare conatus est. Nam nunc summa ope nititur hanc legentis animo sententiam penitus imprimere, scilicet nos non *intentionem* vel *speciem*, sed per eam objectum cognoscere : « Objectum cujuslibet sensitivæ potentiæ, inquit, est forma » prout in materia corporali existit (*S.*, p. 1, q. 85, a. 1) ; » eamdemque sententiam compluribus locis expressam referendi magna nobis copia foret, quasi ipse studuisset ostendere quam inanis esset ista *intentionis* creatio, quam aperte respuere non audet ; nunc objecti et *intentionis* similitudinem affirmat, quam quum nulla ratione vel experientia comprobare possit, quasi quibusdam novi generis effatis constitutam graviter proponit. Nam qua ratione, qua experientia demonstrari potest res a Deo ita comparatas esse ut

aliquid naturæ suæ simile ad hominem ultro deferrent et quodammodo non materiæ tantum, sed etiam quasi operariorum quorumdam partes in cognitione humana sponte susciperent ?

Audite tamen S. Thomam : « Res existentes, inquit, extra » animam, per formam suam imitantur artem divini intel- » lectus, et per eamdem natæ sunt facere de se veram » apprehensionem in intellectu humano (*Qq. Disput.*, » *Quæstio de Veritate*, a. 8). » His quidem verbis, ut postea Cartesius noster, ad Deum qui veritate sua fidem sensibus præstaret, S. Thomas confugit ; at dum Cartesius hoc tantummodo asserebat, scilicet homini menti suæ confidendi necessitatem impositam esse, et ejus fiduciæ sponsorem Deum inducebat, S. Thomas rebus ipsis quamdam actionem tribuit qua se cognitioni humanæ accommodent.

Ita enim interpretandam esse S. Thomæ doctrinam, quum e pluribus librorum ejus locis, tum ex eo quoque patet quod non aliter etiam a nostræ ætatis scholasticis accepta est : nam sæpissime hanc apud Liberatore propositionem invenimus : « Revocandum memoria est, inquit (Liberat., t. 2, » *Metaph. Spec.*, pars 2, cap. 4, art. 6, 146), quod sæpe » diximus res naturales vi propriæ actualitatis tendere ad » se reproducendum in ordine ideali, dummodo subjectum » idoneum inveniant. » Necnon ille acerrime conatus est a magistri sui doctrina omnem, ut dicit, idealismi suspicionem tollere. At ut id efficeret, magis etiam quam S. Thomas ipse ad inanem quamdam umbram, hanc, cujus tamen nomen retinet, *intentionem*, vel *speciem intentionalem sensibilem* reduxit, adeo ut cum recentioribus, quibus, ne iis assentiri videatur, quæ non existimaverunt gratuito imponit, potius quam cum Aquinate concordet.

Nam quis ei hanc propositionem non concedat : « Ut sen-

» satio exsurgat requiritur determinatio aliqua ab objecto » proveniens, quæ vim sentiendi intrinsecus efficiat (Lib., » t. 2, p. 190)? » Concedemus quoque « hanc determina- » tionem differre ab impressione mere materiali quæ reci- » pitur in organo (*Ibid.*, p. 191); » et « meram præsentiam » objecti, quod actione sua nihil in potentiam influat, inuti- » lem omnino esse (*Ibid.*, p. 195). »

At ex his omnibus evanuit, ut ita dicam, *species intentionalis sensibilis;* quam, ut paucis rem absolvam, ideo a scholasticis excogitatam esse existimaverim, quod, quum de spiritus natura non satis distinctam sibi notionem finxissent, non, ut nos, inter animam et corpus vacuum quoddam conceperint, sola Dei potestate complendum; imo, dum nos ita res instituimus ut omnes aut omnino materiales, aut omnino spirituales sint, nec ulla esse possit utriusque naturæ particeps, illi contra e materia ad spiritum quasi gradus quosdam instruunt. Sic pecudum animas docent, non equidem corporeas, attamen non spirituales, sed tantummodo simplices esse; sic dum nos, quadam in cerebrum illata incitatione ita moveri animam dicimus, ut objectum extra se positum cognoscat (rerum enim quasi historiam ordinemque referimus, rationem vero nobis penitus occultam esse confitemur), illi contra, *species* vel *intentiones* inducunt, quæ, utriusque naturæ participes, inter utramque vinculum quoddam efficiant, et cum celeberrimo hoc effato res concilient, *similia* scilicet *non nisi similibus moveri.* Istius modi principiorum ultimum monumentum inter recentiores attulisse videtur quod Cartesius vocabat *les esprits animaux.*

Attamen si non tam doctrinam quam ipsius sententiam spectamus, sensationem quasi primum cognitionis gradum esse censuit S. Thomas, et per eam objecta ipsa deprehendi. Quid autem de objectis ita cognoscitur? « Ea, inquit, quæ non

» habent *esse* nisi in materia individuali cognoscere est » nobis connaturale, eo quod anima nostra, per quam » cognoscimus, est forma alicujus materiæ. Quæ tamen » habet duas virtutes cognoscitivas, unam quæ est actus » alicujus corporei organi; et huic connaturale est co- » gnoscere res secundum quod sunt in materia individuali; » unde sensus non cognoscit nisi singularia (*S.*, p. 1, q. 12, » a. 4). »

Per sensus igitur aliquid materia concretum cognoscimus: « Sensus, inquit, non apprehendit essentias rerum, sed » exteriora accidentia tantum (*S.*, p. 1, q. 57, a. 1). » Non, ut cum Scotis philosophis recentiores permulti, ante ipsam *perceptionem* adstruendam esse credit quamdam doloris aut voluptatis affectionem; de quo eum laudandum esse existimaverim. Nam quotidiana experientia unicuique manifestum est se multa per visum, auditum aut tactum cognoscere, nullo affectum dolore, nulla voluptate; et si respondeatur in homine maturo ideo voluptatem doloremve non jam animadverti quod consuetudine hebescant, non dubitabimus respondere nobis ea gratuito inducta videri, quum nullus, etiamsi quam longissime anteactæ ætatis noctem scrutetur, temporis memoriam reperiat quo aliter se res haberent. Nec magis hanc admittit ab aliis ætatis nostræ philosophis institutam citra cognitionem meram sensationem, quæ mihi subtilioris analysis speciosa potius quam vera inventio videtur. Nam, ne quid præter ipsam experientiam assimulemus, quis sibi vere conscius unquam fuit se organica impressione ita affectum fuisse ut affectionem solam, non autem ejus causam statim cognosceret? At si S. Thomam sequaris, concepta per *intentionem* rei similitudine, extemplo oritur *perceptio* vel « formæ, prout in materia » corporali existit, » cognitio.

Quum tamen per sensus non ipsam objectorum essentiam, sed tantummodo quod scholastici vocant *sensibiles qualitates*, vel « exteriora accidentia » cognoscamus, ita quoddam cognitionis rudimentum, potius quam vera cognitio datur. Sic quasi primus gradus adstruitur *simplex apprehensio*, cujus ea est natura ut ei neque veritas, neque error proprie conveniat :

« Intellectus, inquit, in quantum est cognoscens, est » verus in quantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ » est forma ejus, in quantum est cognoscens; et propter » hoc per conformitatem intellectus et rei veritas definitur; » unde conformitatem istam cognoscere est cognoscere » veritatem. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit. Licet » enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen » cognoscit comparationem quæ est inter rem visam et id » quod ipse apprehendit de ea (*S.*, p. 1, q. 16, a. 2). »

Sic visibilis similitudinem primo per visum deprehendimus; at non objectum ipsum in quo est hæc *visibilis species;* imo, hanc *visibilis* similitudinem primo ita concipimus ut nesciamus an cum re visa concordet, et, ut dicit Liberatore (T. 1, *Log.*, pars 2, cap. 67, art. 3, prop. 3, 278, obj. 4) : « Materiam idearum exhibet perceptio sensuum, » non vero causam efficientem, quæ in virtute quadam » activa mentis posita est. » Nec in sensu, nec in intellectu cognoscente *quod quid est*, at tantum in intellectu componente et dividente proprie versatur veritas : « Proprie » loquendo, inquit S. Thomas, veritas est in intellectu » componente et dividente, non autem in sensu. »

Qualis sit ea cognitio qua, ut ita dicam, nihil cognoscitur (nam tum tantummodo cognoscimus quum affirmamus aut quum negamus), ambiguis obscurisque argumentis explanare nititur S. Thomas, nec magis quam quum de *intentione*

loquitur, rem veritati alienissimam, claram efficere potest. Nunc enim ita de sensibus disserit ut ea *phantasmata* quæ intellectui suppeditare debent nihil ferme significent : nam quum nullam *accidentis*, vel *formæ*, vel *qualitatis* quam percipiunt cum subjecto cui ea inest convenientiam ostendant, ut e loco supra citato apparet, nescio quod cognitionis elementum et *analysis* in pulverem cuncta solventis ultimus terminus superest. Nunc contra, quasi, res attentius observans, animadverteret nihil concipi posse quin mens neget aut affirmet, et proinde quin errore laboret aut veritate potiatur, quodammodo sensitivæ potentiæ judicium quoddam, vel judicii umbram restituit, et non multum abesse videtur a nostra sententia, qua, ut primus cognitionis gradus, constituitur affirmatio, ab ipsa intellectivæ potentiæ exercitatione statim exoriens, et comparativum judicium antecedens. Ideo hunc locum totum referre non dubitamus, quum quia a loco supra citato non parum discrepans, ambiguam fuisse S. Thomæ mentem ostendit, tum quod ad explanandam sensus et intellectus in cognitione societatem magni momenti esse videtur :

« Cognitio nostra, quæ a rebus initium sumit, hoc ordine » progreditur ut primo incipiat in sensu, deinde perficiatur » in intellectu, ut sic sensus inveniatur quodammodo medius » inter intellectum et res. Est enim, rebus comparatus, » quasi intellectus, et intellectui comparatus, quasi res » quædam. Et ideo dicitur in sensu esse veritas vel falsitas » dupliciter. »

Sic eodem modo quo inter objectum et sensum *intentio* adstruitur, si intellectum respicias, inter eum et res sensum invenies. At dum *intentio*, sensitivæ cognitionis non objectum aut terminus, sed modus, vel, ut scholasticorum verba referamus, non *id quod*, sed *id quo* percipitur,

habenda est, *phantasmata* vel *species impressæ* proprium intellectus objectum constituunt.

Hic quoque igitur novum apparet istius consuetudinis exemplum, qua, quum supra omnem controversiam ea sententia posita sit, nullam scilicet nisi similium in similia actionem esse, quasi gradus quidam inter materiam et spiritum ædificantur. Nec dubitaverim hoc scholasticis objicere, quod dum multa ambiguæ naturæ principia, mira subtilitate citraque observationem fabricantur, ne quid inter utramque substantiam vacuum relinquatur, non equidem veræ scientiæ lumen quæstioni præferunt, at tantummodo inanibus verbis fucum faciunt, imo res vere distinctas prope confundunt. Præterea non semper secum constant; nam idem S. Thomas qui in loco prius citato, ita de sensu loquitur ut ille nihil nisi, ut dicunt scholastici, *qualitatem sensibilem* sine respectu ad objectum in quo sita est, apprehendere videatur, in eo loco quem deinde retulimus, aliquid amplius ei tribuit, quum eum dicat *de sensibilibus judicare*.

Sic ergo, quod tolerare non potest Liberatore, in primo cognitionis gradu judicia invenimus, non comparatione instituta, sed confusam quamdam et *sensibilium qualitatum*, et subjecti qui insunt affirmationem exhibentia. Non tam igitur magistrum suum sequendi, quam recentiores impugnandi studio motus videtur Liberatore quum hanc propositionem tuetur (T. 2, *Metaph. Spec.*, pars 2, cap. 1, art. 5, prop. 5) : « Simplex apprehensio semper præcedit judicium, » ac proinde nulla dantur judicia non comparativa. » Nam, inquit, « judicium exsurgit ex perspicientia convenientiæ » vel discrepantiæ duarum idearum, ac proinde compara- » tionem aliquam implicat. Nequit enim animus contueri » duas notiones inter se congruere vel dissidere, nisi alte-

» ram alteri componat, et veluti e regione collocet. At vero » nequeunt inter se comparari nisi ea quæ ante percepta » fuerint (Lib., t. 2, *ibid.*). »

Profecto ea conciliari nequeunt cum Aquinatis doctrina, qui, ut vidimus, sensibus quoque, quamvis nullam instituant comparationem, judicium quoddam effici dicit; nec dubito quin ille libenter « *Reidianæ inspirationi,* » quam respuit Liberatore, concessisset plures simul notiones percipi posse quarum convenientia, ipso perceptionis actu, confuse appareat et citra comparationem affirmetur, quæ tum solum instituetur quum mens, indiscretam objecti cognitionem perficiendam repetens rudis inconditæque synthesis elementa solvet, et singula perspiciet. Sic, cum veritate rerum constare nobis videtur hoc effatum sæpius a Liberatore usurpatum : intellectum scilicet *prius pervenire in actum incompletum quam in actum completum*. At nonne *incompletus* est actus quo plures notiones confuse mixtas deprehendimus, *completus* vero ille quo confusionem hanc ita solvimus ut elementa singula primo contemplemur, et rursus solutam compagem per artem restituamus? Ad hanc nostram sententiam, ipsa rerum vi prope adductus videtur, quum sensum dicit *de sensibilibus judicare;* imo sensibus propriam et sui generis cognitionem tribuit, quæ quidem superioribus potentiis viam aperiat, quas solas intellectus nomine appellat, quod nomen nos etiam ad sensilem perceptionem merito extendimus, attamen per se quodammodo absoluta sit antequam illæ exerceantur. Nam pecudibus, quibus simplicem et a corpore distinctam, sed non vere spiritualem vel a materiæ consortio discretam animam inesse existimat, primum hunc gradum non superari docet.

Ex hoc loco, cujus prima verba jam retulimus, et reliquam partem nunc ideo referimus quod summi momenti

est, apparebit qualem inter sensus et intellectum societatem instituerit, de qua quæstione disputare nobis opportunum videtur.

§ 9.

De Societate inter Sensus et Intellectum instituta.

« In sensu, inquit, dicitur esse veritas vel falsitas dupli-
» citer. Uno modo secundum ordinem sensus ad intellectum;
» et sic dicitur esse sensus falsus vel verus sicut res, in
» quantum videlicet facit veram existimationem in intellectu,
» vel falsam. Alio modo secundum ordinem sensus ad res,
» et sic dicitur esse veritas vel falsitas in sensu sicut et in
» intellectu, in quantum judicat scilicet esse quod est, vel
» non esse quod non est. Si ergo loquamur de sensu secun-
» dum primum modum, sic in sensu quodammodo est
» falsitas, et quodammodo non est falsitas. Sensus enim et
» est res quædam in se, et est indicativus alterius rei. Si
» ergo comparetur ad intellectum prout est res quædam, sic
» nullomodo est falsitas in sensu intellectui comparato, quia
» secundum hoc dispositionem suam intellectui demonstrat.
» Unde Augustinus dicit in auctoritate inducta quod non
» possunt omnino enuntiare nisi affectionem suam. Si autem
» comparetur ad intellectum secundum quod est repræsen-
» tativus alterius rei, quum quandoque repræsentat ei aliter
» rem quam sit, secundum hoc sensus falsus dicitur in
» quantum natus est facere falsam existimationem in intel-
» lectu, quamvis non necessario faciat, sicut et de rebus
» dictum est, quia intellectus sicut judicat de rebus, ita et de
» iis quæ a sensibus afferuntur. Sic ergo sensus, intellectui
» comparatus, semper facit veram existimationem in intel-
» lectu de dispositione propria, sed non de dispositione

» rerum. Si autem consideretur sensus secundum quod
» comparatur ad res, tunc in sensu est veritas vel falsitas per
» modum quo est in intellectu. In intellectu primo et prin-
» cipaliter invenitur falsitas et veritas in judicio componentis
» et dividentis; sed in formatione quidditatum non nisi per
» ordinem ad judicium quod ex formatione prædicta conse-
» quitur. Unde et in sensu proprie veritas et falsitas dicitur
» secundum quod judicat de sensibilibus; sed secundum hoc
» quod sensibile apprehendit, non est ibi veritas et falsitas
» proprie, sed solum secundum ordinem ad judicium (*Qq.*
» *Disput., Quæstio de Veritate*, art. 2). »

Patet igitur quasi duos ordines sensitivis et intellectivis potentiis constitui, quorum priorem, eumdemque dignitate inferiorem non superent pecudes. At in homine supra sensus inveniuntur intellectivæ potentiæ, quæ, quanquam quum ab ipsa animæ essentia, tum ab aliis inferioribus potentiis distinctæ, attamen in eodem subjecto, scilicet in homine, corpore et anima composito, versantur, et cum cæteris ideo conjunguntur quod quasi terminus sunt ad quem ordinatæ fuerunt.

Sic quamvis in eo nonnulla inveniantur quæ ad *sensualistarum* disciplinam vergere videntur, multa alia in Aquinate occurrunt quibus ad altiorem melioremque doctrinam tendit; inter quæ hoc primo notandum est quod dum *sensualistæ* intellectum in quoddam intellectus servitium detrudunt, ille contra sensus omni modo intellectui subditos ostendit, nec quidquam aliud cum istis empiricis commune habet, præter hanc sententiam qua, quoad tempus, ante intellectum sensus instituit, necessariamque iis in perficienda qualibet cognitione cooperationem tribuit. At quasi hanc metaphysicæ suæ inhærentem conclusionem invitus retinere cogeretur, ita de sensibus et de intellectu loquitur,

ut demum priores nihil amplius suppeditent quam cognitionis rudem materiam quamdam, intellectu *possibili* vel *patiente* susceptam, at *intellectu agente*, tanquam artificis cujusdam labore adeo mutatam ut ex ea nihil ferme supersit. Itaque ambigua et secum non bene cohærens de Origine Idearum doctrina ejus, medium quoddam iter inter extrema *idealistarum empiricorumque* vitia, titubans quidem et incerto gradu procedens, sibi aperire conatur. Id enim eo ipso manifestum est quod ab aliis inter empiricos annumeratur, ab aliis quasi ideis innatis faverit in partem oppositam trahitur (Vide *le Correspondant* du 25 avril 1856).

Nec desunt magni momenti argumenta quibus utramque interpretationem tueri liceat. Nam si quis tantum inspiciat quonam modo idearum formationem descripserit S. Thomas, haud immerito affirmabit e talibus principiis, servata logica, nihil præter empirica dogmata deduci posse. Si vero, omissa methodo, consideret quid vel de ideis ipsis, vel de potentiarum cognatione profiteatur, omnino diversa, nec minus tamen cum S. Thoma concordans, opinio orietur. Hoc enim in philosophia quasi monstrum apparet : scilicet empiricis principiis condita spiritualis doctrina. Quod si autem quæras quanam arte res inter se maxime abhorrentes conciliare conatus sit Aquinas, nunc ad optima quæque pronum et natura sublime ingenium admirans, libenter cum recentiori quodam auctore (M. de Margerie) dices eum uno quasi alarum impulsu ex empiricis principiis ad altissimas puræ spiritualitatis regiones evolare. At nunc rursus si eum consideres, metaphysicæ, quam non tam consulto elegisse quam quasi legitima auctoritate impositum jugum subiisse videtur, onere gravatum, subtilissimisque distinctionibus abutentem ut ex angustiis, in quas se ultro inclusit, tandem evadat, et quæ accipere profitetur, interpretatione mutantem aut omnino abolentem, hujus methodi vitio corruptas fuisse et ingrato labore nequidquam exhaustas ægre feres præstantissimi ingenii vires. Imo, nonnunquam ad impatientiam delabens et fatigatus dum doctorem sequeris qui res aliter inchoat, aliterque perficit, ita ut semper decipiatur qui, datis principiis, finem conjectura augurari velit, minus nobilem concipies metaphoram, non jam ex avibus sumptam quæ terram relinquentes sublimia petant, sed ex illis ludis quibus histriones quidam, e lagena quam, adstantibus cunctis, aqua impleverunt, vinum aut quemlibet liquorem educunt. Nempe postquam professus est et sæpe repetivit cuncta e sensibus oriri, S. Thomas id tamen asserit « sensus quamdam deficientem esse intellectus » partem (*S.*, p. 1, q. 77, a. 7). » Et eodem loco de sensibus et de intellectu ita loquitur ut manifeste ille instituatur quasi primum præcipuumque totius cognitionis principium : « Sensus enim, inquit, est propter intellectum, et » secundum naturalem originem quodammodo est ab in- » tellectu, sicut imperfectum est a perfecto *(Ibid.)*. »

Attamen ne credatur ab eo sicut a nobis hoc tantum sensibus tribui, ut, quum per eos res corporeas et singulares cognoscamus, ad earum cognitionem quæ non corporeæ nec singulares sint nihil aliud afferant nisi necessariam movendæ animi virtuti incitationem, obstat primo ejus de natura animæ disciplina. Nam, ut supra memoravimus, non solum per logicam, sed etiam re ipsa ab animæ essentia distinctæ sunt ejus potentiæ, ad quas, inquit, « comparatur sicut princi- » pium activum et finale, et sicut principium susceptivum, » vel seorsum per se, vel simul cum corpore *(Ibid.)*. » Quapropter si animam inspicias prout est ad potentias, « principium est activum et finale. » Quum autem imperfectiora ad perfectiora, tanquam ad finem suum, instituan-

tur, supra omnia intellectum pones, quo a cæteris animantibus ita distinguatur homo ut eum « animal rationale » dici posse scholastici ipsi concedant. At contra, si animam consideres « prout principium susceptivum, » ordinem priori contrarium invenies. Nam imperfectiora ante perfectiora oriuntur, et, ut Aristotelicum effatum a S. Thoma sæpissime revocatum usurpemus, « prius animal generatur quam » homo. » Quum igitur (nam alterum hoc effatum non minorem apud Doctorem nostrum locum tenet) « cujuslibet » cognoscentis cognitio sit secundum modum suæ naturæ, » ea doctrina a nobis jam exposita, quam de natura humana professus est, eo adductus fuit ut non posset non admittere in sensibus, qui, ut dixit, *conjuncti*, non ipsius animæ sunt, necessario invenienda esse cujuslibet ideæ, vel a corporibus et a singularitate remotissimæ, materiam saltem et elementa.

Sic de hoc certe S. Thomas et empirici consentiunt quod in qualibet cognitione, non, ut volunt alii, opportunitatem tantummodo vel incitationem adhibeant sensus, qua stimulatus animus, propria virtute, naturæ suæ insita quædam elementa eliciat, notionesque consequatur nulla materiæ parte admixtas; sed vere et proprie nihil in intellectu esse doceant cujus materia saltem in sensu prius non fuerit, quamvis ita mutetur et emendetur ut in perfecto opere arduum sit interdum agnoscere quibusnam elementis conflatum sit. At dum S. Thomas hanc conclusionem quasi e metaphysica necessario decurrentem constituit, eamdem nostræ ætatis empirici rerum observatione ea mente condere laborant, ut inanem esse et e doctrinarum concentu tollendam metaphysicam demonstrent. Quapropter diverso modo utrinque peccatur : S. Thomas enim, quum proprii ingenii natura, tum præsertim christiana fide, a funestissimis empiricorum erroribus defenditur, et ex ejus philosophia integra

evadit humani ingenii dignitas. At veritatem, cujus præclarissimum studium et quasi intimum sensum quemdam in pectore suo gerit, nequidquam cum metaphysica conciliare nititur quæ, nisi logica depravetur, ad finem necessario ducit a christianæ philosophiæ documentis omnino abhorrentem. Nec ideo iis assentiri possumus qui, ut nimiis scholasticæ contemptoribus respondeant, eum ostendunt extrema omnia vitantem, et purissimam de summis quæstionibus doctrinam profitentem; lectorem vero non admonent hanc principiis fundatam esse quibus admissis, sibi quodammodo jus ademerat talia affectandi. Nam quum Aquinas Aristoteli sese ita addixerit ut nonnunquam, Pythagoricorum more, de magistro suo dicentium, hanc disputandi rationem sequatur, qua scilicet, expositis prius adversariorum argumentis, ante omnia hoc primum objiciat : « Sed contra est; nam philoso- » phus dicit..., » quo jure auctoritatem ejus, de principiis acceptam, de fine respueret? Non tamen comprobare possit Aristotelem in logica peccavisse, nec recte intellexisse quo sua ipsius doctrina tenderet. Quod adeo non efficit S. Thomas ut contra se existimet Aristotelis vestigiis tunc etiam insistere quum ab eo maxime discrepat. Unde hoc quoque accidit quod inter scholasticos et Aristotelem arctissima societate instituta, quum haud ægre, vulgatis inter scholas ipsius libris, ostenderint quidam a scholastico Aristotele multum discrepare Græcum Aristotelem, philosophiam quam ita non rerum observatione, sed prava unius magistri interpretatione conditam demonstrabant, omnino everterunt et in contemptum adduxerunt immodicum quidem, quum ex eo fonte plura opinione ad nos defluxerint, et multa etiam, non sine utilitate depromenda sint.

Nostræ contra ætatis empirici sola rerum observatione doctrinam suam conditam esse prædicant. At quamvis se

nullis citra demonstrationem præstitutis principiis inservire existiment, manifestum tamen videtur eos, antequam altissimas animi notiones explanandas suscipiant, eam sibi de hominis natura opinionem finxisse, ut quæcunque sensus superant, aut omnino negent, aut explicationibus suis corrumpant quo facilius ad sensus reducantur. Itaque nisi animadvertas multa ab illis aut consulto omissa, aut non vere qualia attentius observanti occurrunt descripta fuisse, iis non poteris non concedere hæc omnia, de quibus disserunt, e sensibus orta esse. Sic spreta humanæ naturæ dignitate, opus surget in quo omnia inter se concordabunt. Apud S. Thomam contra, empirica dogmata, non ut conclusionem e rerum observatione deductam, sed tanquam principia auctoritate imposita invenies, quibuscum mira subtilissimorum argumentorum ubertate, veram rerum notionem conciliare conatur. Itaque male cohærens et disparibus elementis compactum opus constituit, quod tamen majestate quadam commendetur.

Ne quis dubitet quin veram S. Thomæ sententiam retulerimus, multos ejus operum locos memorandi magna copia est, quibus docet cunctas intellectus notiones e sensuum *phantasmatibus* per quamdam *abstractionis* virtutem deduci : « Proprium intellectus humani est, inquit, cognos» cere formam, in materia quidem corporali individualiter » existentem, non tamen prout est in tali materia. Cognoscere » vero id quod est in materia individuali non prout est in » tali materia, est abstrahere formam a materia individuali » quam repræsentant phantasmata. Et ideo necesse est dicere » quod intellectus noster intelligit materialia abstrahendo » a phantasmatibus, et per materialia sic considerata in » immaterialium aliqualem cognitionem devenimus (*S.*, p. 1, » q. 85, a. 1). »

Quomodo autem efficiatur hæc singularium notionum vel formarum in materia corporali *individualiter* existentium per abstractionem quasi mirifica concoctio qua corporea in incorporea, singularia in universalia mutentur, antequam inquiramus, vel cur hanc cognitionis humanæ explicationem, rejectis aliis doctrinis, instituerit, vel quibusnam argumentis eam cum rebus ipsis et præcipue cum sua de *universalibus* disciplina conciliare conatus sit, operæ pretium est attendere.

§ 10.

De Intellectus Operatione.

Quum jam S. Thomæ de sensili cognitione philosophiam exposuerimus, non admirabimur metaphysicis notionibus ea insistere quæ secundum nos sola rerum observatione condi debuissent. Admittenda igitur, ne statim totum opus corruat, quasi mathematicorum effatorum more proponitur hæc sententia qua, propemodum ut Cartesius, Deum inducit, humanæ doctrinæ, veritate sua, sponsorem. Nec tantum, ut apud Cartesium, hoc asseritur Deum scilicet ut cujuslibet rei, ita humani quoque ingenii Creatorem, non eum esse qui nos quasi ludo quodam perpetuo decipiendos instituere potuerit ; at inter divinam artem et suam de cognitione doctrinam, mutuam quasi obligationem ita instituit S. Thomas ut divinam prudentiam integram servari non posse existimet, nisi res ad eam quam proponit normam accommodentur, et, exempli gratia, Deo congruentius esse censeat res ita creasse ut *ipsæ veram sui apprehensionem* in intellectu humano facerent, quam si humanum intellectum ita comparavisset ut ipse per virtutem suam, nullius principii operatione interposita, res apprehendere posset.

Nos quidem quonam modo id effici possit ut materiam spiritus concipiat, omnino occultum esse confitemur; at, quamvis hanc divina arte constitutam rationem non nisi divina Prudentia intelligi posse fateamur, res tamen ita comparatas fuisse, observatione edocti affirmamus. Præterea, non minus occultum nobis videtur quomodo, si scholasticos sequamur, hæc rebus ipsis potentia tribui potuerit qua *ipsæ veram de se apprehensionem in intellectu humano faciant;* vel, ut dicit Liberatore, duplex admittatur *ordo*, hinc *essendi*, illinc *cognoscitivus* quo res cunctæ *se in cognitione iterare tendant*. Nonne superbiæ humanæ commento falluntur qui Deum sibi fingunt, ut poeta fabulam suam lectorum intellectui accommodat, sic res naturales ita condentem ut « vi propriæ actualitatis tendant ad » se reproducendum in ordine ideali, dummodo subjectum » idoneum inveniant? » Nec, si res ita se haberent, dubitaverim divini poetæ artem incusare, utpote qui in hoc immenso naturæ libro, ad recreandam explendamque humani ingenii curiositatem composito, tam multa scripserit quæ nostræ investigationis invictam pertinaciam hactenus eluserint. At nihil scholasticis supra hominis intellectum positum videtur; omnia, tanquam ingeniosa machinatione, per materiam et formas, per species impressas aut expressas, facile explanantur, nisi quis, vel, ut dicit Liberatore, *Crassæ Minervæ*, vel temporum improbitate adversus antiquam disciplinam contumax et seditiosus, objiciat isto inanium verborum fuco nihil nisi vanum scientiæ simulacrum constitui.

Transeat tamen major (nam istas dialecticæ formas, quasi necessarium veræ scientiæ apparatum, restituendas censet Liberatore), et hoc S. Thomæ effatum concedamus : « Res existentes extra animam per formam suam imitantur

» artem divini intellectus, et per eumdem natæ sunt facere » de se veram apprehensionem in intellectu humano (*Qq.* » *Disput.*, *Quæstio de Veritate*, a. 8). » Res igitur materia constantes, ut vidimus, in *composito*, vel in materia corporea ad sentiendum animæ actu *informata*, se, aut potius similitudinem suam impriment, quam *spiritualem intentionem* vocat Aquinas. Nec, admisso hoc *intentionis* vel *speciei* interventu, idealismum vitavisset, nisi per hanc (quod effato supra relato affirmatum vidimus) objectum ipsum, quasi per subtile quoddam medium deprehendi docuisset. « Cognos- » cens, inquit, non cognoscit cognitum secundum illud esse » quod habet in cognoscente. Oculus enim non cognoscit » lapidem secundum esse quod habet in oculo, sed per spe- » ciem lapidis quam habet in se, cognoscit lapidem secun- » dum esse quod habet extra oculum (*S.*, p. 1, q. 14, a. 6). »

Hanc igitur idealismi formidinem, de intellectu loquens, iterum ingruentem sentiet : nam ibi quoque, ut in sensu, non directe, sed per alteram speciem concipi objecta docet, eodemque modo inhærentem tali disciplinæ necessitatem, non incolumi quidem logica, effugiet, scilicet effato quod supra retulimus innitens simulque, ut sensilem, sic intellectualem quoque speciem ita instituens ut ipsa non videatur et objectum ostendat.

Attamen, ut totam de nostra quæstione S. Thomæ disciplinam uno oculorum conjectu complectendam ponamus, habemus jam impressas in sensibus rerum materia adstrictarum species ; inde in *sensus internos*, scilicet in *sensum communem*, vel in *phantasiam*, vel in *memoriam sensilem* (nam alteram *intellectualem memoriam* esse docet) transire possunt per sensus externos allatæ : nam quum hæ quoque potentiæ *organicæ* sint, earum naturæ convenit aliquid materia conditum apprehendere, si tenetur effatum

jam sæpius revocatum : « Unumquodque similiter habet esse » et operationem. »

At ob eamdem causam, intellectum, utpote qui non jam *in composito*, sed in sola anima versetur, movere non possunt : « Ad intellectum possibilem, inquit S. Thomas, » comparantur res sicut agentia insufficientia (S. Thomas, » *Qq*. 8, a. 3). » Necesse est igitur altior quædam facultas accedat, cujus operatione, quum per se non sufficiant, tales informentur ut idoneæ evadant ad movendum *intellectum possibilem* : « Ad hoc enim, inquit, ex se ipsis non sufficiunt, quum sint in potentia intelligibilia, intellectus » autem non movetur nisi ab intelligibili in actu *(Ibid.)*. »

Sic suppeditata per sensus phantasmata nihil aliud sunt nisi inchoatæ cognitionis elementa quæ per se nihil cognitioni intellectuali afferant, nec hominem supra singularium rerum notitiam evehant, nisi aliunde eorum natura ita mutetur ut *intellectum possibilem* movere queant. Citra novæ hujus virtutis operationem, *in potentia* intelligibilia sunt ; nempe apta sunt hanc *informationem* patiendo qua talia efficiantur ut sese in intellectu possibili imprimant ; non tamen, nisi adhibita hac informatione, se ibi imprimerent ; nam inquit S. Thomas, « quum sint similitudines individuorum phantasmata et existant in organis corporeis, » non habent eumdem modum existendi quem habet intel- » lectus humanus, et ideo non possunt sua virtute impri- » mere in intellectum possibilem (*S.*, p. 1, q. 84, a. 1). »

Necesse est lectorem admonere, ut ibi concipiatur S. Thomæ sententia, hanc in intellectu divisionem ab eo institutam esse scilicet ut duplex esset ejus potentia : altera *passiva*, quam nunc *passivam*, nunc *possibilem* vocat, non equidem quod corporum more iners sit, sed eo modo « secundum quem omne quod exit de potentia in actum

» potest dici pati, etiam quum perficitur. Sic intelligere » nostrum est pati. » Hoc quoque legenti adesse debet quod supra exposuimus, animæ scilicet potentias ab ejus essentia distinctas esse ; aliter enim quærere posses quid obstet quominus illa phantasmata, in ipsa ejus substantia impressa, altiorum deinde potentiarum actionem moveant. At ex ea de potentiarum et essentiæ distinctione disciplina mirum prorsus hoc oritur quod in explananda idearum generatione apparet quasi officina quædam, diversis instructa machinis, ordine quodam dispositis, quibus vicissim elaborata, rudis primum materia demum ad perfectionem adducatur ; imo miraculo quodam, quod nulla vel recentiorum machinationum operatione æquari possit, ad extremum aliud exeat quam quod inchoatum erat, tanquam e ferrea materia aureum signum eductum esset. Comparatis igitur illis phantasmatibus, quasi per sensus collecta fuisset materia quæ superioris potentiæ actionem requireret, prodit tandem ea facultas quam *intellectum agentem* aut *vim abstractivam* appellat S. Thomas et ejus opere e phantasmatibus eliciuntur novæ species, *intelligibiles* scilicet, quæ natura sua tales sunt ut in intellectu possibili imprimantur.

Hanc operationem, quum in multis passim locis, tum in eo loco fusius describit cujus priorem partem jam retulimus : « Unde (nempe quia phantasmata sunt in potentia intelligi- » bilia, intellectus autem non movetur nisi ab intelligibili in » actu) oportet quod superveniat actio intellectus agentis, » cujus illustratione phantasmata fiunt intelligibilia in actu, » sicut illustratione lucis corporalis fiunt colores visibiles » actu. Et sic patet quod intellectus agens est principale » agens, qui agit rerum similitudines in intellectu possibili. » Phantasmata autem, quæ rebus exterioribus accipiuntur, » sunt quasi agentia instrumentalia (*Qq*. 8, a. 3). » At ut in

sensili perceptione sensilis species ipsa non percipitur, sed per ipsam, quasi per speculum, objectum cujus similitudinem refert, ita *species intelligibilis,* intellectus agentis illustratione constituta, nihil aliud est nisi medium quoddam, vel, ut dicit S. Thomas, non *id quod*, sed *id quo* intelligitur : « Dicendum est quod species intelligibilis se habet ad intel- » lectum ut quo intelligit intellectus (*S.*, p. 1, q. 85, a. 11). »

Non tamen intelligentis conscientiam semper et necessario effugit *species intelligibilis;* at primo actu proprium apprehenditur intellectus objectum, scilicet *universale a phantasmatibus abstractum*, nec nisi *supra se ipsum reflectatur* « secundum eamdem reflexionem intelligit et » suum intelligere et speciem qua intelligit (*S.*, p. 1, q. 85, » a. 2). » Easdem igitur partes in intellectu *species intelligibilis* agit quas in sensibus *species sensibilis*, et eodem modo inhærens tali disciplinæ idealismi periculum vitatur, simul affirmando divinæ arti convenire res ita comparare ut veras sui similitudines in homine imprimant, et admonendo has *repræsentationes* non prohibere quominus proprium objectum, ultra species, et sensus et intellectus percipiant. S. Thomas enim providit ad significationem sententiæ suæ alienissimam hanc quam proponit disciplinam detorqueri posse, et nihil neglexit ut veritatem, quam ipse in discrimen adduxerat, repetita sæpius affirmatione tueretur : « Si, » inquit, intellectum esset non ipsa natura lapidis quæ est in » rebus, sed species quæ est in intellectu, sequeretur quod » ego non intelligerem res quæ est lapis, sed solum inten- » tionem quæ est abstracta a lapide *(de Unitate Intellectus)*. »

Sic etsi per *reflectionem* percipi possit species intelligibilis, non in ea est positus ipse intelligendi actus. Eam S. Thomas instituit quasi principium quoddam quo ad intelligendum *informetur* subjectum, ita ut, quamvis

intelligere non possit nisi adsit species, attamen ipsius sit intelligere. Speciem enim et natura et tempore docet ante ipsum conceptionis actum prodire : « Species, inquit, natu- » raliter præcedit intelligentiam et natura et tempore *(de* » *Intellect. et Intelligib.).* » Et ne quid dubium supersit, propriis verbis ab eo affirmatam invenimus hanc *speciei* et *conceptionis* distinctionem : « Differt conceptio a specie » intelligibili ; nam species intelligibilis, qua fit intellectus » in actu, consideratur ut principium actionis intellectus, » quum omne agens agat secundum quod est in actu per » aliquam formam, quam oportet esse actionis principium » *(Ibid.).* »

Quatuor igitur conditionibus constat operatio quæ, a phantasmate incepta, perficitur ideæ generatione, quum in ea per analysim distingui debeant *primo* res quæ intelligitur, *secundo* species e phantasmate expressa quo *in potentia intelligibilis* res includitur ; *tertio* intellectus ipse in quo imprimitur *species intelligibilis ; quarto* ipsa *conceptio* vel *idea*, quæ oritur ex intellectu *possibili* aut *passivo*, e *potentia* ad *actum* per *speciem intelligibilem* adducto, quam e *phantasmate* elicuit *intellectus agens.* Hanc enim explicationem ipse S. Thomas sic proponit : « Intellectus intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, » scilicet ad rem quæ intelligitur, secundo ad speciem » intelligibilem qua fit intellectus in actu, tertio ad suum » intelligere, quarto ad conceptionem intellectus *(de Intel-* » *lect. et Intelligib.).* »

---

§ 11.

Quales diversis Intellectus Potentiis Partes tribuerit S. Thomas exponitur.

Quales partes unicuique horum principiorum tribuerit S. Thomas, quibus constare vult idearum generationem jam nunc ostendere licet. Si igitur ab origine totius quæstionis processum repetamus, invenimus primo *phantasmata* sensibus suppeditata. At inter sensus et intellectum, quasi inter duos mundos immensum quoddam interponitur intervallum : nam hinc apparent potentiæ quæ non in anima sola sed in *composito* versantur, homini pecudibusque communes, et corporis conditioni adeo adstrictæ ut cum eo non possint non perire; inde contra potentiæ quæ jam non in composito, sed in anima sola versentur, solæque vere *spirituales* dici possint. Attamen et sensibus et intellectu constat homo, nec mere spiritualis est ejus natura, at potius medium quoddam tenet inter pecudes, quæ sensitivis tantummodo potentiis instructæ sunt, et Angelos, omnino incorporeos. Quum ergo unumquodque *similiter habeat et esse et operari*, in homine inter sensus organicos et intellectum, quamvis incorporeum, proportio quædam ita institui debuit ut ille ad phantasmata converti posset, sensibus suppeditata, et ea, ut dicit S. Thomas, *illuminaret :*

« Substantiæ spirituales inferiores, scilicet animæ, » inquit, habent esse affine corpori, in quantum sunt cor- » porum formæ; et ideo ex ipso modo essendi competit eis » ut a corporibus et per corpora suam perfectionem intelli- » gibilem consequantur; alioquin frustra corporibus uniren- » tur. Substantiæ vero superiores, id est Angeli, sunt a » corporibus totaliter absolutæ, immaterialiter et in esse

» intelligibili subsistentes, et ideo suam perfectionem intel- » ligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo a » Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum » intellectuali natura (*S.*, p. 1, q. 55, a. 1). »

Sic ex ipsa hominis natura, corpore et anima constante, id oritur ut per compositum, scilicet per sensus operatio ejus incipere debeat, quum non nisi naturæ omnino incorporeæ congruat incorporea directe attingere. At rursus quum imperfecta ad perfectiora ordinentur, et in homine perfectior sit intellectus, quoad Angelos et ad ipsum Deum accedit, quam sensus, quibus ad pecudes deprimitur, illi ad intellectum quasi ministri quidam comparantur, quibus, pro sua infirmitate, non possit non uti. Nihil igitur in intellectu esse quod non fuerit prius in sensu empiricorum more profitetur S. Thomas; sed ab empiricis ideo discrepat quod quæ in intellectu sint, aliter ibi esse censet quam in sensu, et in informanda idea præcipuam intellectui partem tribuit. Quod multis locis et in diversis operibus constanter dixit : « Phantasmata, inquit, præambula sunt actionis intellec- » tus *(de Unitate Intellectus)*. » « Actus intellectus prin- » cipaliter quidem et formaliter est in ipso intellectu, mate- » rialiter autem et dispositive in inferioribus viribus (*S.*, » p. 1, q. 89, a. 5). » « Ex parte phantasmatum, intellec- » tualis operatio a sensu causatur. Sed quia phantasmata » non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed » oportet quod fiant intelligibilia in actu per intellectum » agentem, non potest dici quod sensibilis cognitio est tota- » lis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis » quodammodo est materia causæ (*S.*, p. 1, q. 84, a. 6). »

Ex ea igitur opinione quam sibi de hominis natura finxit, suam de humanæ cognitionis ordine et modo disciplinam hausisse videtur S. Thomas, quæ quamvis graviter ideo

præsertim peccet, quod et immodicam principiorum seriem inducat quæ nec logica necessitate, nec rerum observatione constituantur, et, ut videbimus, cum ipsa nobilissimarum notionum veritate conciliari nequeat, ita nostræ mentis dignitatem et excellentiam tuetur ut inter empiricos annumerari sine injuria non possit auctor. Attamen, quantum inter nostram ejusque doctrinam intersit manifestum faciunt nonnulla ex iis quæ ab eo exprompta jam retulimus. Nempe si phantasmata per sensus allata intellectus actioni necessaria, ut dicit, *præambula* sunt, qualis erit antequam exerceantur sensus animæ conditio?

Quum ad id præcipue tendere videatur ut Platonem impugnet, pro se S. Thomas ab Aristotele sumptam refert hanc empiricis omnibus caram sententiam : intellectum scilicet esse « sicuti tabulam in qua nihil sit scriptum. » Non equidem id eodem modo interpretatur quo plerique empirici, qui animam omnino passivam sibi fingunt, aut, ut inter recentiores permulti, nihil aliud esse volunt nisi nomen quoddam quo significetur actuum effectuumque, quibus constat uniuscujusque vita, collectio, omnem ita abolentes substantiæ vel personæ notionem. Semper enim simplicis et per se subsistentis personæ conceptionem retinuit S. Thomas, quamvis eam plerumque in umbram quamdam involverit : nam quum ab essentia ejus distinctæ sint potentiæ, quid superest præter obscurum quoddam fundamentum, quod ut rebus externis, ita internis quoque subesse vult? Attamen, ibi inclusas esse docet quasdam potentias, quibus quasi materia vel sensationis, vel ideæ ita comparetur, ut experientia opus non equidem creet, sed potius perficiat; aut saltem concedit in animo e principio virtutem esse qua aptum se præbeat concipiendæ cognitioni. Quod quidem ab ea significatione remotissimum est quam

celeberrimæ *de tabula* comparationi tribuere solemus. Nam sic non omnia, ut ab empiricis, ad experientiam referuntur, quæ nulla tabulæ cooperatione indigeret, sed ea fingitur hominis natura ut moveatur virtus ipsi innata.

« Videmus, inquit, quod homo est quandoque cognoscens » in potentia tantum, tam secundum sensum quam secun- » dum intellectum, et de tali potentia in actum reducitur, » ut sentiat quidem per actiones sensibilium in sensum, ut » intelligat autem per disciplinam aut inventionem. Unde » oportet dicere quod anima cognoscitiva sit in potentia » tam ad similitudines quæ sunt principia sentiendi, quam » ad similitudines quæ sunt principia intelligendi. »

Profecto illi concedere non dubitamus animam « non » habere aliquas species naturaliter inditas, sed esse in » principio in potentia ad hujusmodi species omnes. » Nam iis verbis eadem ferme doctrina proponitur quam apud Leibnitzium de innatis ideis dicentem animum non esse velut librum quemdam legenti aperiendum. Iis quoque argumentis assentimur quibus Platonis sententiam insectatur, utpote quæ falsam de humana natura notionem inducat, quum inter animam et corpus non modo distinctionem instituat, quam legitimam credimus, sed quasi perpetuum quoddam dissidium, ita ut corporea organa ad cognoscendum non instrumenta, sed potius impedimenta comparata esse videantur.

Nempe, ut a prudentissimo rerum psychologicarum scriptore quodam (M. Chauvet) animadversum est, si Platonis disciplina servetur, ideas dicendum est non homini innatas esse, sed nascente homine in oblivionem cadere. Quamvis autem, etiam omisso revelationis auxilio, multa appareant, vel ipsa animi observatione, vel præsertim moralis philosophiæ studio condita quæ alterius vitæ spem

confirmare possint, generosum mentis impetum ad sublimia tendentis inconsulto sequuntur, non vero severa rerum observatione nituntur qui non vident, in præsenti saltem conditione, inter animam et corpus mutuam esse proportionem. Multa quidem merito afferunt quibus comprobare possunt eam esse animi naturam, ut ad altiorem fortunam nata videatur, et quodammodo ægre ferat hanc necessitatem corpore, tanquam instrumento, utendi, votisque, præsentem infirmitatem longe superantibus, conditionem optet, imo, speret isto materiæ consortio liberam : sic hominibus quos, ut fieri solet, ad materiam retrahunt quum vitæ negotia quotidianæque curæ, tum illæ affectiones quæ in animo ex ejus cum corpore societate nascuntur, utile est ea sæpius revocare quæ utriusque substantiæ distinctionem testantur. At quamvis inter utramque hoc nonnunquam surgat quasi duellum, quo inter se pugnantes oriri videntur duo isti homines quos agnoscebat rex quidam, si non metaphora sed scientia constituenda est, in nobis non sunt duo homines, sed ex duabus subtantiis unus homo efficitur ; et si multa in animo sunt quibus supra corpus evehatur, naturali tamen dispositione sua ad corpus fertur, quocum multis arctissimisque vinculis consociatur.

Itaque si merito conjicere licet animum non tantum ad eam cum corpore societatem comparatum fuisse, attamen multis certissimisque documentis admonemur eam esse Dei voluntatem ut non per vim quasi duo hostes eodem vinculo conjuncti teneantur, sed sibi invicem auxilientur. Sic sensibus uti nobis naturale est, nec veritati respondere videtur quæcunque doctrina per corpus animum magis impediri quam juvari asserat. Quod optime a S. Thoma intellectum fuisse censemus, quum alium in præsenti, alium in futura vita cognoscendi ordinem esse ex eo ipso concludat quod

dissimilis in utraque hominis conditio appareat. In futura enim vita, meliorem fore animi conditionem profitetur : nempe tunc eum « liberiorem esse dicit, in quantum non » amplius per gravedinem et occupationem corporis a puri- » tate intelligentiæ impediatur (*S.*, p. 1, q. 80, a. 2). » At in præsenti vita non minus recte affirmat « esse animæ » naturale corpori uniri. » Unde merito concludit nos non inditas animo species gerere quæ, adjuncto corpore, quasi deleantur aut saltem occultentur.

Non tamen ea est ejus prudentia ut satis habeat ea quæ in Platonis disciplina ad fabulas poeticas magis quam ad scientiam pertineant, rerum observatione emendare. Nec ad eam significationem hanc de tabula comparationem reduxit ut nobis accipienda videatur et propemodum cum Leibnitzii de ideis innatis disciplina concordet. Nempe iis verbis animum scilicet ad sentiendum et ad intelligendum in potentia esse, non eadem ab eo et a nobis significatio tribuitur. In animo enim idearum ne semina quidem inesse vult quæ rerum experientia inde expromantur ; sed ut in *sensitivis intentionibus* sensitivam cognitionem, ita in phantasmatibus per sensus suppeditatis, intellectivam cognitionem revera versari vult, inchoatam quidem nec perfectam. Quod ex eo ipso contra Platonem allato argumento manifestum est, et manifestius etiam apparet ex iis quæ de *Universalibus* disserit : « Manifeste, inquit, apparet hujus positionis (Platonicæ » scilicet disciplinæ) falsitas ex hoc quod deficiente aliquo » sensu, deficit scientia eorum quæ apprehenduntur secun- » dum illum sensum, sicut cæcus nullam potest habere noti- » tiam de coloribus (*S.*, p. 1, q. 84, a. 3). »

Hoc exemplo certum est universales notiones a S. Thoma ita institui ut in sensibus, sub alia forma contineantur, et nisi prius adstiterint sensationes, nulla sit intellectualis

idea. Jam exposuimus quibusnam argumentis, ipsa hominis natura conditis, hunc in idearum generatione ordinem, non tantum quoad tempus, sed etiam quoad modum quo efficiantur, constituere conatus sit. Hic vero ipsa rerum observatione sententiam suam tueri conatur; at exemplo sic allato nullam inesse vim existimamus. Namque nec cæcus colores, nec surdus sonos sentit : at alia est sensatio, alia scientia, et si cæco aut surdo proponatur physica doctrina qua luminis aut soni natura demonstratur, deficiente coloris et soni sensatione, utrique, eorum quæ, ut dicit S. Thomas, secundum illos sensus apprehenduntur scientia non deficiet; at eodem exemplo uti liceret ad confirmandam doctrinam cui adversatur, sensibus scilicet afferri elementa quæ in scientiam recipiantur, at scientiam his elementis adeo non contineri ut ex ipso animo decurrat, qui in rebus externis, ordinis, cujus insitam sibi fert notionem, imitationem invenire conetur.

Omnis enim de physicis rebus disciplina initium sumit ab hypothesi, cujus lumine primum regitur qui, per immensam rerum multitudinem, non inconsulto, sed præstitutum jam iter sequens, observationem aggreditur. Sic non qui plura observavit, sed qui altiorem ordinis notionem præ se fert, in scientia physica primas tenet; nec tam pertinaci rerum observatori, quam viro qui ingenii sui excellentia divinæ sapientiæ particeps natus est, occulta naturæ miracula deprehendere contingit.

§ 12.

De Operatione qua e Singulari per Sensus apprehenso Universale elicitur.

Attamen quum, secundum Doctorem nostrum, *phantasmata præambula* sint *actionis intellectus* cui materiam suam suppeditant, operæ pretium est apud eum quærere quonam modo agatur hæc operatio qua e singulari per sensus apprehenso universale elicitur. Phantasmata, ut supra vidimus, quum materiale aliquid retineant, per se ipsa non ea sunt ut intellectum, omnino incorporeum, movere possint. Adsit oportet *intellectus agens*, cujus duplicem effectum duplici nomine significat S. Thomas. Eum enim simul *illuminare* dicit et *abstrahere* :

« Intellectus agentis est illuminare, non quidem alium » intelligentem, sed intelligibilia in potentia, in quantum » per abstractionem facit ea intelligibilia in actu (*S.*, p. 1, » q. 54, a. 4). »

Phantasmata igitur illuminat, vel talia efficit ut *intellectu possibili* perspici possint, ea abstrahendo, ut dicunt scholastici a *conditionibus vel notis individuantibus*. Namque, ut supra exposuimus, in materia positum esse docet S. Thomas *individuationis* principium. Itaque si e phantasmatibus *materiale aliquid retinentibus*, illæ *materiales* vel *individuantes notæ* ejiciuntur, inde oritur universalis notio.

« Virtute intellectus agentis, inquit, resultat quædam » similitudo in intellectu possibili ex conversione intellectus » agentis supra phantasmata, quæ quidem est repræsenta- » tiva eorum quorum sunt phantasmata, solum quantum » ad naturam speciei. Et per hunc modum dicitur abstrahi » species intelligibilis a phantasmatibus, non quod aliqua » eadem numero forma quæ prius fuit in phantasmatibus, » postmodum fiat in intellectu possibili, ad modum quo » corpus accipitur ab uno loco et transfertur in alterum » (*S.*, p. 1, q. 85, a. 1). »

Ita describitur hæc *intellectus agentis* occultissima

operatio, qua e singularibus, quæ per sensus concipiuntur, *universale* educitur; eamque S. Thomas animadvertit cum operantis natura optime congruere. Sensus enim, materia simul atque anima constituti, materiam vel singularitatem concipiunt; intellectus autem, ad spiritum solum pertinens, res spirituales vel universales attingit, et primo ejus actu concipitur quod maxime universale est, scilicet ab omni vel temporis, vel loci, vel hujus aut illius modi determinatione remota notio; aut, ut dicunt scholastici, *mera quidditas*, vel *simplex apprehensio*. Inde proferentur, ratiocinationis opere, judicia, quum ad diversas aut loci, aut temporis, aut hoc vel illo modo existendi conditiones quæ *individua* constituunt, hæc omnino simplex notio referetur; at prima apparet ea *quidditas* adeo simplex ut non magis unitatem quam pluralitatem proprie exhibeat :

« Si quæratur, inquit S. Thomas, utrum ista natura » (exempli gratia humanitas directe apprehensa) possit dici » una vel plures, neutrum concedendum est, quia utrumque » est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest » sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, » nunquam posset esse una, quum tamen una sit secundum » quod est in Socrate. Similiter, si unitas esset de intellectu » et ratione ejus, tum esset una et eadem natura Socratis » et Platonis, nec posset in pluribus plurificari *(Opusc.* » *de Ente et Essentia).* »

Sic quamvis confessus sit sensus, etsi non comparantes, quodammodo judicare, attamen quoad intellectum nulla esse judicia censet quæ non ex comparatione oriantur inter eas *quidditates* vel *simplices apprehensiones* quibus constare vult primum intellectus actum. Nos contra, cum recentioribus plerisque credimus, ipsa rerum observatione manifestum esse non primam prodire abstractionem, at

potius synthetica judicia quibus promiscue contineantur hæc elementa quæ per analysim solvere et rursus componere liceat, ut inde exoriantur nova judicia comparatione instituta. At si S. Thomæ disciplinam sequaris, ut primo per sensus res corporeas et singulares, ita per intellectum primo res incorporeas et universales concipimus. Intellectus actionem necesse est antecedat sensus operatio, per quam constituitur *phantasma,* unde, secundum S. Thomam, quasi e materia quadam eliciuntur notiones vel a singularibus corporeisque rebus remotissimæ. Namque adeo non, ut opinari videntur quidam interpretes nimis benevoli, cum nostra vel Leibnitzii de innatis ideis disciplina conciliari potest ejus sententia, ut, quum disserit de æternis illis notionibus quæ non ut *genus* vel *species* singulis quodammodo referri possunt, scilicet de *infinito,* de *unitate,* de *bono*, has quoque occulta quadam arte elaborari doceat; non autem, ut nos censemus, ex intima quadam animi virtute decurrere quæ, data opportunitate, sese exhibeat. Quod, quum de hac in ejus doctrina quæstione multos dubitantes videamus, nonnullis omnem tollentibus dubitationem exemplis confirmare non supersedemus.

Eum ergo de *infinito* loquentem inducamus : id enim non omisit, quum in LXXXVI[a] quæstione primæ *Summæ Theologicæ* partis articulum secundum inveniamus cui inscribitur : *Utrum intellectus noster possit cognoscere infinita.* « Respondeo, inquit, dicendum quod quum » potentia proportionetur suo objecto, oportet hoc modo se » habere intellectum ad infinitum sicut se habet ejus » objectum quod est quidditas rei materialis. » Vidimus supra quales essent illæ *quidditates* per quas, quamvis observatione res aliter se habere manifestum sit, incipere volunt scholastici intellectus operationem. Sic proponitur

non, ut apud nos, synthetica notio plura complectens quæ deinde distinguantur, sed nescio quod monstrum cui non magis multitudo quam unitas conveniat. Mens igitur erga infinitum ita se habet ut illæ *quidditates* quæ nulla consideratione determinentur, vel, ut dicit Liberatore, « implicite tantum et negative habitudinem habeant ad plura, » quatenus natura illa, seu forma, per se et absolute » spectata, ad nullum individuum coarctetur, et solum » aptitudinem habeat ut deinceps reflexione mentis referatur » ad omnia individua existentia vel possibilia (T. 1, *Logic.*, » pars 2, cap. 4, art. 2, 210). »

At nos id nihil aliud esse nisi *indefinitum* contendimus, ab *infinito* longe discrepans; nam prior notio hoc tantum inferre videtur, mentem scilicet nostram ubi sit terminus certa ratione non posse demonstrare, et eo modo negativa prodit notio; posterior contra nullum esse terminum affirmat. Sic dum deletis gradatim cunctis determinationibus, ad extremum relinquitur inanis quædam umbra quam *indefinitum* appellamus, *infiniti* notio, non equidem, ut vult Fenelo, sola affirmativa est, sed tamen omnium maxime affirmativa; non, ut vult idem Fenelo, ante cæteras notiones prima statim apprehenditur, sed ea est ut nisi ad eam referantur plane intelligi non possint finitæ notiones quibus, veluti occultum quoddam fundamentum subest, de quo inquirendo ii tantum studeant quos, pro excelsa ingenii sui natura, juvet, ut dicit poeta, *rerum cognoscere causas*.

Hanc *infiniti* et *indefiniti* confusionem a S. Thoma non vitatam fuisse sequentibus ejusdem loci verbis patet : « In » rebus autem materialibus non invenitur infinitum in actu, » sed solum in potentia, secundum quod unum succedit » alteri, ut dicitur in 3° *Physic.*, text. 57. Et ideo in intel- » lectu nostro invenitur infinitum in potentia, in accipiendo

» scilicet unum post aliud, quia nunquam intellectus noster » tot intelligit quin possit plura intelligere. Actu autem vel » habitu non potest cognoscere infinita intellectus noster. » Actu quidem non, quia intellectus noster non potest simul » actu cognoscere nisi quod per unam speciem cognoscit. » Infinitum autem non habet unam speciem : alioquin » haberet rationem totius et perfecti. »

Obiter animadvertere liceat hujus forsan loci memoriam Feneloni adfuisse, quum in secunda parte sui libri *de Existentia Dei* scriberet *Deum ipsum esse ideam quam de eo habemus ;* quia quum, ut S. Thomas, admisisset ideas quasi species quasdam esse objecta referentes, non intelligebat quomodo finita species infinitum referre posset ; nec magis quam S. Thomas quidquam præter Deum infinitam speciem, scilicet « quæ haberet rationem totius et perfecti » accipere volebat. At S. Thomas saltem sibi constat, nam ut infra videbimus, Deum quoque, non aliter quam cætera universalia, per *excessum* scilicet et per *remotionem*, adstantibus primo *phantasmatibus*, quibus suppeditatur abstractionis materia cognosci censet. Apud Fenelonem vero hoc omni prudentiæ alienissimum invenimus, quod dum res finitas per ideas cognoscimus tanquam per imagines quæ, ut dicit, in capite nostro quasi musæum quoddam constituunt, cujus picturæ, ad nutum possessoris sese sponte hinc atque illinc moverent, Deum ipsum menti nostræ præsentem conciperemus.

Sed omissa hac digressione, inceptum jam locum repetamus : « Ideo non potest intelligi infinitum nisi accipiendo » partem post partem, ut ex ejus definitione patet in » 3° *Physic.*, text. 63. Est enim infinitum cujus quanti- » tatem accipientibus semper est aliquid extra accipere. Et » sic infinitum cognosci actu non posset nisi omnes ejus

» partes numerarentur, quod est impossibile. Et eadem » ratione non possumus intelligere infinita in habitu. In » nobis enim habitualis cognitio causatur ex actuali consi- » deratione. Intelligendo enim efficimur scientes, ut dicitur » in 2° *Ethic.*, cap. 1°. Unde non possemus habere habitum » infinitorum secundum distinctam cognitionem, nisi consi- » deravissemus omnia infinita numerando ea secundum » cognitionis successionem, quod est impossibile. Et ita nec » actu, nec habitu intellectus noster potest cognoscere » infinita, sed in potentia tantum, ut dictum est in isto » articulo (*S.*, p. 1, q. 86, a. 2). »

Non alio modo comparari Dei cognitionem eodem articulo docet : « Deus enim, inquit, dicitur infinitus sicut » forma quæ non est terminata per aliquam materiam. In » rebus autem materialibus aliquid dicitur infinitum per » privationem formalis terminationis. Et quia forma secun- » dum se nota est, materia autem sine forma est ignota, » inde est quod infinitum materiale est per se ignotum. » Infinitum autem formale, quod est Deus, est secundum » se notum ; ignotum autem quoad nos, propter defectionem » intellectus nostri, qui secundum statum præsentis vitæ » habet naturalem aptitudinem ad materialia cognoscenda. » Et ideo in præsenti Deum cognoscere non pussumus nisi » per materiales affectus *(Ibid.)*. » Et ne ulla dubitatio supersit, eamdem sententiam aliis verbis in septimo LXXXIV[æ] quæstionis articulo propositam referre liceat : « Incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur » a nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum » sunt phantasmata, sicut veritatem intelligimus ex consi- » deratione rei circa quam veritatem speculamur. Deum » autem, ut Dionysius dicit c. 1, *de div. Nom.*, lect. 3, » cognoscimus ut causam, et per excessum et per remotio-

» nem. Alias etiam incorporeas substantias in statu præ- » sentis vitæ cognoscere non possumus nisi per remotio- » nem, vel aliquam comparationem ad corpora. Et ideo » quum aliquid hujusmodi intelligimus, necesse habemus » converti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non » sint phantasmata (*S.*, p. 1, q. 84, a. 7). » Idem *de bono, de unitate*, de iis denique quæ a recentioribus conscientiæ et rationi tribuuntur, aliis locis dictum invenimus; at rem jam satis, ut nobis videtur, constitutam tandem omittendam censemus.

Constat igitur, si S. Thomæ assentiamur, nullam esse notionem quam non « intellectus accipiat aliquo modo » a sensu (*S.*, p. 1, q. 84, a. 8), » et in sensibus positam esse quasi materiam unde expromantur quæcunque incorporea et universalia cognoscimus; non equidem quod eodem modo in intellectu sint quo in materia; namque ita nulla essent vere incorporea et universalia, quod, quanquam e S. Thomæ disciplina necessario consequens, ejus tamen opinioni alienissimum est; sed ab iis, operatione intellectus agentis, removentur « individuales conditiones » quibus vel in *materia sensibili*, scilicet « quæ subjacet qualita- » tibus sensibilibus, » vel in *materia intelligibili*, scilicet « quæ subjacet quantitati » adstrictæ erant illæ notiones. Nam, secundum S. Thomam, et quantitates, « et numeri, » et dimensiones, et figuræ, quæ sunt terminationes quan- » titatum, possunt considerari absque qualitatibus sensibi- » libus, quod est eas abstrahi a materia sensibili; » et ulteriori abstractionis genere quædam sunt quæ etiam ab ea materia nihil e materiæ notis præter quantitatem retinente, ita abstrahi possunt ut sine hac vel illa peculiari nota « substantiæ quantitati subjectæ » considerentur, quod est, inquit, « eas abstrahi a materia intelligibili individuali. »

Et demum, « ut ens, unum, potentia et actus et alia hujus- » modi » quædam sunt quæ ab omni « substantiæ quan- » titati subjectæ, » scilicet etiam ab ultima materiæ nota abstrahuntur, quod extremum et absolutissimum abstrahendi genus « a materia intelligibili communi » abstrahere dicit S. Thomas.

§ 13.

De Ordine in Idearum Generatione instituto.

Sic nulla est inter metaphysicas notiones quæ per unam inter illas abstractiones non constituatur ; sic, ut dicit S. Thomas, abstrahitur « universale a particulari, vel species intelligi- » bilis a phantasmatibus (*S.*, p. 1, q. 85, a. 1). » E phantasmatibus autem eliciuntur primo *quidditates*, quibus constat primus intellectivæ operationis gradus. Inde id sequitur ut quum nihil jam corporeum retineant illæ quidditates, per eas incorporea primum intelligamus. Sensus igitur, quum *e composito* sit, per se corpora concipit; intellectus vero, quum ad animam solam pertineat, res corporeas vel singulares *directe* cognoscere non potest, et *in rebus materialibus directe non est cognoscitivus nisi universalium* (*S.*, p. 1, q. 86, a. 1).

Itaque, si hanc doctrinam accipere velis, quoad generationem idearum, ante omnia adstruitur *entis* notio, quæ, ut dicit Liberatore (T. 1, *Metaph. gener.*, cap. 1, art. 1, prop. 4), « contrahitur in inferioribus notionibus, non per » modum compositionis, sed per modum expressioris con- » ceptus ejusdem realitatis. » Et ea propositione veram referri S. Thomæ sententiam sequentibus verbis manifestum est ; nempe « quod primo intellectus concipit quasi notissi- » mum, inquit, et in quod omnes conceptiones resolvit, est

» *ens ;* unde oportet quod omnes aliæ conceptiones intellectus » accipiantur ex additione ad ens (*Qq. Disp.*, q. 1, *de* » *Veritate*, a. 1). »

Nescio an ullo exemplo melius ostendi possit quam periculosum sit per metaphysicam eas quæstiones tractare de quibus per psychologicam experientiam inquirere licet. Cui enim persuadebitur primam esse et *notissimam* obscuram hanc *entis* notionem, quæ quasi infinito circuitu omnia complectatur ? Quis credat inde per abstractionem, tanquam e communi fonte quodam, omnia hauriri quæ cognoscimus ? Si contra non metaphysica principia, sed res ipsas consideramus nobis probabitur eum esse humanæ mentis naturalem processum ut non *abstracta* primum cosgnoscat et inde ad *concreta* veniat, sed e judiciis syntheticis, quæ res sensibus præsentes complectantur, diversa per abstractionem elementa eliciat, quæ deinde componantur et judicia comparativa efficiant ; res autem incorporeas ideo cognoscat quod se ipsum incorporeum per conscientiam apprehendat animus, et in se inveniat et *unitatis*, et *boni*, et *causæ*, et *divinitatis* etiam quasi deficiens exemplum quoddam, unde per virtutem a Deo ipsi inditam, ad diversos perfectionis habitus homini concipiendos assurgat. *Abstractum* enim adeo non primum cognitionis gradum constituit, ut contra ad abstractionem efficiendam quadam consuetudine egeamus quam multi ægre consequuntur. Nam quis non animadvertit quam arduum sit vel pueris, vel incultis hominibus abstracta intelligere ? Præterea per abstractionem quemdam significamus meditationis laborem, quo ex illis quæ primo animi motu concepta erant, novæ notiones eliciantur. Prima igitur esse non potest abstractio, quum, non nisi adstante voluntate, pro habitu illo quo diversas cogitationes sponte sua occurrentes mens accipit, non autem quærit, novus instituatur

ille gradus quo, omissis, imo quasi per vim quamdam ejectis cæteris cogitationibus, una retineatur cui scrutandæ rimandæque toti incumbimus.

At ne illo argumento premerentur, unam esse abstractionem finxerunt scholastici, quam *primam* vocaverunt, et quæ meditatione non indigeret, sed ex ipsa animi natura decurreret, alteram « reflexi ordinis, quæ dici possit secun- » daria et relativa, quatenus exerceatur circa objecta jam » intellectu cognita, et procedat observatione similium vel » dissimilium ad eruendas eorum similitudines vel varietates » (Lib., t. 1, *Logic.*, pars 2, cap. 4, prop. 3, art. 3, 215, » obj. 3). »

Ut eam distinctionem tueantur, duo *universalium* genera admittunt, unum scilicet quod *directum* vocant, alterum vero *reflexum*. Prius, de quo jam supra disseruimus, quamvis unitatem includat, attamen nec unitatem, nec multitudinem manifeste exprimit; posterius vero priori addit *relationem ad individua*, et in quinque classes divisum est. Priori autem respondet *abstractio directa*, qua intellectus statim et propter suam naturam, ubi res adest, eam non qualis apparet, *materialibus* scilicet *conditionibus* adstricta, sed in sua essentia et ab *individuantibus* principiis absolutam apprehendit; ita enim comparatus est intellectus ut, quum objectum naturæ suæ respondens comprehendere debeat (nempe ubique similiter inveniri et *esse* et *operari* inter axiomata positum fuisse vidimus), res primo perspiciat quoad *quidditatem* et deinde cætera meditationis labore consequatur. Utque hæc per metaphysicam constituta cum observatione concordare demonstrent, sensus ipsos animadvertunt scholastici ad abstractiones quasdam comparatos esse : nempe per visum colores sine odore, per olfactum odores sine coloribus percipimus.

Sed nos, omissa mètaphysica in rebus quæ ad observationem solam pertinere videntur, iis respondemus per sensus abstractionis materiam comparari, ipsam autem abstractionem, nisi adsit voluntas, non effici; non enim singuli, sed omnes simul exercentur sensus, resque præsentes et tangendo, et olfaciendo, et videndo simul confuse percipimus, donec, voluntatis virtute, visu aut olfactu tanquam instrumentis quibusdam utamur. Optime quidem a S. Thoma dictum fuisse censemus mentem, ideo quod spiritualis sit, res incorporeas et universales concipere posse; attamen quum nihil in homine sit quod ab omni corporis commercio omnino absolutum sit (quanquam scholastici, ut vidimus, summopere conati sunt intellectum solum a *concretione materiæ* absolvere) ejus naturæ convenit, non, ut scholastici volunt, *quidditates*, sed res ipsas, quales apparent, scilicet cum *conditionibus individuantibus* primo apprehendere, et deinde ad altiores notiones per abstractionem, quæ proprie sine voluntate nulla est, sensim assurgere; nisi, adstantibus rebus, excitetur occulta quædam virtus, qua statim, quasi e propriis visceribus notiones eliciat quæ adeo non per experientiam gradatim constituuntur, ut contra sine illis nullus esse possit experientiæ fructus.

Præterea, ut, exempli gratia, e finito infinitum abstrahere liceat, necesse est infinitum quodammodo in finito contineri. S. Thomæ quidem libenter concedemus, quoad *genus* et *speciem*, in singulis quasdam esse notas, quæ per compositionem ita conflentur ut inde *generis* aut *speciei* notio constituatur. At num idem dici potest de *infinito*, de *vero*, de *bono*, de *unitate*, de *causa*, de *substantia*, de *Deo*, denique, de notionibus vere metaphysicis?

---

§ 14.

De Abstractione præcisiva et de Ontologismo.

Si S. Thomam sequi velis, ut illæ notiones appareant, satis erit eas, *neglectis individuationis conditionibus*, a rebus quibus insunt, non eodem quidem modo quo a nobis concipiuntur, per *abstractionem prœcisivam* expedire. At ita magis ac magis, ut vidimus, eversis cunctis limitibus, num verum infinitum, num verum Deum consequemur? Num, ut voluit quidam inter recentiores, S. Thomæ forsan non immemor, in philosophia ad demonstrandum Deum institui potest ratio quædam illi sublimiorum mathematicorum rationi non dissimilis, quæ vocatur *infinitorum calculus?* Num ita, tanquam post longam algebricarum operationum seriem, ad altissimas metaphysicæ notiones pervenire licet? Talia cogitanti non possunt non succurrere quæ ab uno inter præstantissimos Universitatis nostræ magistros isti disciplinæ objecta sunt: ita scilicet non verum infinitum, sed tantummodo mathematicorum infinitum comparari, quod veri infiniti nihil nisi inanis umbra esse videatur. Sic enim prodiret non verus Deus, quem viventem et cuncta regentem adorant Christiani, sed potius nescio quod vanum simulacrum, Parmenidis aut Plotini obscurum et inane numen referens.

At quum superiorem eam facultatem quam rationem appellamus non admisisset S. Thomas, aliam de his notionibus disciplinam proponere non poterat. Nam quis ei ad veram metaphysicam aditus supererat postquam hæc scripsisset : « Naturalis nostra cognitio a sensibus principium sumit; » unde tantum se nostra naturalis cognitio extendere » potest quantum manuduci potest per sensibilia (*S.*, p. 1, » q. 12, a. 12)? » Hanc vero sententiam ejus, quanquam omnino empiricam et christianæ religionis metaphysicæ alienissimam, ideo præsertim defendendam susceperunt recentiores Thomistæ quod, quasi monstrum quoddam maxime reformidare videntur *ontologismi* contagionem. Nos quidem Malebranchii doctrinam adversus scholasticos tueri nolimus; cum Liberatore libenter dicemus, secundum Sancti Joannis verbum : *Deum nemo vidit unquam;* vel cum S. Thoma nos « per creaturas in Dei cognitionem per» venire (*S.*, p. 1, q. 89, a. 3). » Imo, quamvis theologiam cum philosophia confundere consuetudini nostræ repugnet, nos juvat animadvertere doctrinæ quam discipulis nostris proponere solemus, nullomodo adversari Inquisitionis, decreta quæ hic referenda censemus :

« A Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis Congre» gatione postulatum est utrum sequentes Propositiones » tuto tradi possint :

» Propositio 1. — Immediata Dei cognitio, habitualis » saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea » nihil cognoscere possit : siquidem est ipsum lumen in» tellectuale.

» Propositio 2. — Esse illud quod in omnibus et sine quo » nihil intelligimus, est esse divinum.

» Propositio 3. — Universalia, a parte rei considerata, » a Deo realiter non distinguuntur.

» Propositio 4. — Congenita Dei, tanquam entis sim» pliciter, notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo » involvit, ut per eam omne ens, sub quocumque respectu » cognoscibile est, implicite cognitum habeamus.

» Propositio 5. — Omnes aliæ ideæ non sunt nisi » modificationes ideæ qua Deus tanquam ens simpliciter » intelligitur.

» Propositio 6. — Res creatæ sunt in Deo tanquam pars » in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito, » simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui » divisione et diminutione extra se ponit.

» Propositio 7. — Creatio sic explicari potest : Deus ipso » actu speciali quo se intelligit et vult tanquam distinctum » a determinata creatura, homine, v. g., creaturam producit.

» Feria IV, die 18 septemb. 1861. In Congregatione » Generali habita in Conventu S. M. supra Minervam coram » Eminent. et Rev. DD., præhabito voto DD. Consultorum, » omnibus et singulis propositionibus superius enunciatis » mature perpensis, proposito dubio responderunt : » Negative. »

Malebranchii quidem doctrinam, imo nonnulla et in Bossuetio et in Fenelone præsertim quæ ad pantheismum inclinant, præter recentiores *ontologos*, illo Inquisitionis decreto damnata fuisse manifestum est. At nihil prohibet quominus in homine peculiarem quamdam potentiam agnoscamus, quæ, apud alios major, apud alios minor, eadem tamen omnibus insit, semper secum constans et necessariis legibus adstricta : ejus enim objectum, super hominem positum, absolutum et immutabile est : nisi ita esset, nulla veritas absoluta foret, imo nihil certum, nihil etiam probabile. Attamen, non in Deo nec per Deum, sed per eam superiorem potentiam quæ singulis concessa est, absolutas veritates cognoscimus. Sic, annuente ipso Liberatore, *ontologismi vel umbram* vitamus, quum a Gerdilio sine offensa dictum fuisse confiteatur nos « per » intellectuales similitudines rerum nobis divina actione » impressas, res cognoscere. »

In eo igitur stare ontologismus videtur, si quis scilicet dixerit « immediatum objectum perceptionum nostrarum

» esse Deum aut ideas in Deo existentes (Lib., t. 2, » *Metaph. Spec.*, pars 2, cap. 4, art. 5, prop. 2, 142, » obj. 3). » Quod quidem, etiam omissa Inquisitione, philosophiæ nostræ alienissimum est. Sed ideo tamen Gerdilii disciplinam non probat Liberatore « quia refugere ad Deum » tanquam ad proximam et unicam causam, quum res expli- » cari per vires naturales possit, philosophicum non censet ; » deinde quia traducere ipsas species intellectuales tanquam » objectum immediatum perceptionum nostrarum, januam » aperit idealismo *(Ibid.)*. »

Qualis autem sit ea per *vires naturales* explicatio, quæ *quidditates*, et *phantasmata*, et *species sensibiles* aut *intelligibiles* inducat, jam vidimus; nec concedere possumus scholasticis primam mentis perceptionem circa *quidditates* versari quæ a rebus sensibilibus abstrahantur, nec intelligimus quomodo in rebus quas per sensus deprehendit et ordinem, et causas, et substantias conciperet homo, nisi ipse proprio animo inditas inveniret et ordinis, et causæ, et substantiæ notiones, vel potius suæ ipsius naturæ exemplo ordinem, causam, substantiam jam cognosceret et ita adduceretur ad quærendum extra se quod in se ipso cognoscit; quod ideo accidit quia naturæ suæ excellentiæ conscius, ea tantum intelligit et admiratur quæ ad similitudinem sui comparata videt.

Sed ita res *per essentiam nostram* cognosceremus, quod ne Angelis quidem convenire, at Dei proprium esse docet S. Thomas, qui ne ipsam quidem animam nisi « secundum » quod fit actu per species a sensibilibus abstractas a se » cognosci » censet (*S.*, p. 1, q. 87, a. 1). Itaque quum harum notionum originem in conscientia ponere nolint scholastici, demonstrare conantur per sensus et substantias et causas deprehendi, quod nos omnino falsum arbitramur. Nec,

quamvis nos Liberatore incuset sic admisso Idealismo, physicarum doctrinarum auctoritatem minuere, profiteri dubitabimus per eas non causas quidem, sed tantummodo leges quasdam cognosci quibus res naturales ita contineantur ut constans inter eas successionis ordo appareat; causam autem nullam nisi in homine ipso per se deprehendi cum doctissimo inter recentiores physicæ magistro (M. Sainte-Claire-Deville) credimus, pariterque nullam usquam nisi in nobis ipsis substantiam nobis manifestam esse. Non igitur, ut contendit Liberatore, ad Deum confugimus de rebus quæ per vires naturales explicari possint : at ei nullo modo concedere possumus ad explanandam universalium notionum originem satis valere eam *vim abstractivam* quæ e finito infinitum, e rebus creatis Dei notitiam expediat. Infinitum enim finito ita contineri non potest ut satis sit *individuantes notas* tollere ; nam quomodo infinitum quæreremus, nisi ad id quærendum ingenita quadam virtute ferremur? Res autem creatas ea tantum conditione nos ad cognoscendum Deum adducere contendimus, si ante animo nostro impressa fuerit Dei notio quædam ; pariterque metaphysicas notiones cunctas ita ante experientiam animo nostro insidere ut per experientiam clarescant quidem, non vero gradatim componantur. Præterea si januam idealismo aperimus, fatebimur quidem hominum imbecillitati magis commodam esse scholasticam disciplinam, omnia per *qualitates sensibiles* explicantem : at eam ideo rejicere cogimur quod magis philosophicum censemus ignorationem vel scepticismum admittere quam doctrinam retinere quæ cum recentioribus physicorum investigationibus nullomodo conciliari posse videatur.

Quoad denique ultimum hoc argumentum, sæpius quum a S. Thoma, tum ab ejus fautoribus revocatum, scilicet « si » anima species intelligibiles secundum suam naturam apta

» nata esset recipere per influentiam aliquorum separatorum
» principiorum tantum, et non acciperet eas ex sensibus,
» non indigeret corpore ad intelligendum. Unde frustra
» corpori uniretur (*S.*, p. 1, q. 75, a. 5), » nos fatebimur omnino ignorare et quem ad finem a Deo corpori unitus fuerit animus, et qua ratione instituta fuerit ea societas, nisi quis cum Liberatore existimet rem philosophorum *physiologistarumque* præsertim assiduis investigationibus tentatam, theologorum decretis absolutam fuisse ; quibus si assentiaris, non modo de unione animi et corporis, sed etiam de *materia* et *forma* scholasticorum disciplina, recentioris physicæ luminibus alienissima, restauranda erit. Utraque enim inter se ita consociantur ut, si memoriæ adsunt quæ jam exposuimus, in metaphysica doctrina condita appareat psychologica scholasticorum de animi et corporis societate disciplina, et ex ea demum decurrat tota eorum de cognitione philosophia. Sed nos, quamdiu necessaria cuilibet scientiæ et homini debita libertas relinquetur, quanquam S. Thomæ auctoritatem pie colentes et justam præclarissimo ejus ingenio admirationem tribuentes, istud repugnantium inter se rerum, empiricæ scilicet psychologiæ et christianæ metaphysicæ connubium, nunquam admittemus. Nec videmus cur ii qui ab omni recentiorum errorum contagione sanandos juventutis animos sibi vindicant, ita *idealismum*, aut *rationalismum*, aut *pantheismum* reformident, ut prope ad *materialismum*, aut ad *empirismum* saltem a Lockio minime abhorrentem delabantur. Semper enim hactenus ratum nobis fuerat nullos magis quam christianos philosophos *puros spiritualistas* dici posse. At nunc hanc appellationem a Liberatore repudiatam fuisse videmus, quem ita doctrinam a se propositam laudantem legimus :

« Sensistæ peccabant defectu, concipientes intellectum vel
» ut aliquid non diversum a sensu, vel ut potentiam mere
» passivam, quæ, quidquid habet a sensu recipiat. Spiritua-
» listæ puri peccabant excessu, quia ponebant in animo
» ideas aut visiones ingenitas, quæ vel a Deo immitterentur
» vel a fundo animi pullularent. Uterque scopulus hic
» vitatur (T. 2, *Metaph. Spec.*, pars 2, cap. 4, art. 6,
» prop. 2, 145). »

Quis talia legens non admiraretur, nisi memoriæ occurreret ejusdem ordinis philosophos jam olim ita Cartesio adversatos esse ut vel Gassendio vel Huetio potius faverent ?

§ 15.

Conclusio.

Manifestum igitur nobis videtur omnino empiricam de Origine Idearum a S. Thoma disciplinam propositam fuisse. Attamen, et ingenii sui natura, et christiana veritate ab empiricorum in metaphysica erroribus ita servatus est ut multa ex ejus libris referri possint quæ cum ista doctrina minime conciliari posse videantur. Rationem enim tanquam superiorem cæteris potentiis et ab iis distinctam facultatem non admittit, nec magis impressas divina actione humano animo notas. Sed principia quædam esse censet quæ rationis vel ratiocinationis (nam utrique verbo eamdem significationem tribuit) operationem antecedant, et unde omnis *certitudo* decurrat : « Certitudo scientiæ, inquit, tota oritur ex cer-
» titudine principiorum. Tunc enim illationes per certitu-
» dinem sciuntur quando resolvuntur in principia (*Qq.*,
» *Disp.*, *Quæst. de Veritate*, a. 1). » Sic præcipuum empirismi vitium vitatur, admissis principiis quæ per se nota sint et mentis assensum virtute sua rapiant, quod metaphysicæ

integritati servandæ adeo necessarium esse intellexit S. Thomas, ut non semel suæ *de potentiis animæ* et de *modo et ordine intelligendi* doctrinæ alienissimas sententias proposuerit : « Principia cujuslibet scientiæ, inquit, vel
» sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris
» scientiæ (*S.*, p. 1, q. 1, a. 2). »

Nec aliter quum de educatione disserit ab empiricis longe discrepat. Illi enim quum animam omnino passivam et vere *tabulæ rasæ* instar sibi finxerint, ut secum constarent eas educatori partes tribuere debuerunt ut in discipuli mente, tanquam in libro quodam scriberet, vel ut facete dixit Montanus, memoriam tantummodo exercens « scientiam
» per aures tanquam inserto cornu infunderet. » S. Thomas contra, id solum ab educatore exspectandum existimat ut ab eo, tanquam « a principio exteriori » stimuletur adjuveturque « principium internum quod est principale agens, » nempe ipsa discipuli virtus intellectiva, quæ scientiam non accipiat quidem, sed propria operatione efficiat, eodem modo auxiliante magistro quo medicus ægrotanti, apud quem, remediorum suorum virtute, naturæ vim concitat et ad sanationem per se ipsam tendentem moderatur et regit.

« Homo docens, inquit, solummodo exterius ministerium
» adhibet, sicut medicus sanans; sed sicut natura interior
» est principalis causa sanationis, ita et interius lumen in-
» tellectus est principalis causa scientiæ. » Quale autem sit hoc lumen, *interiori illi magistro* de quo disserit Fenelo non dissimile, ita nobis discit : « Utrumque horum
» est a Deo, et sicut de Deo dicitur psalmo 102, 3 :
» *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, ita de eo dicitur
» psalmo 93, 10 : *Qui docet hominem scientiam*, in
» quantum lumen ejus super nos signatur, per quod omnia
» nobis ostenduntur (*S.*, p. 1, q. 117, a. 1). » Eamdem

doctrinam diversis locis propositam referre cogimur, ne dubia supersit vera auctoris sententia, iis quæ de psychologia ejus jam cognoscimus alienissima. Nam ita manifestum erit integram ab eo servatam fuisse mentis humanæ dignitatem, quam non jam sensibus subjectam, sed divino lumine perfusam ostendit :

« Oportet ponere in ipsa anima humana aliquam virtu» tem ab intellectu superiori participatam, per quam omnia » facit intelligibilia in actu (*S.*, p. 1, q. 77, a. 4). » « Ipsum lumen intellectuale quod est in nobis, nihil aliud » est quam quædam participata similitudo luminis increati, » in quo continentur rationes æternæ. » « Per ipsam sigilla» tionem luminis divini, in nobis omnia demonstrantur » (*Ibid.*, q. 84, a. 5). »

Quo autem modo idem philosophus, in eodem libro et hæc dixit, et professus est « naturalem nostram cognitionem » tantum se extendere in quantum manuduci possit, per » sensibilia *(loco citato) ?* » Num credemus, ut quidam, S. Thomam secum adeo non constare ut, quamvis empirica præcepta multa ediderit, tamen *idearum innatarum*, aut *ontologismi*, aut saltem *recentioris spiritualismi* fautoribus annumerari possit ? Hoc quidem nobis manifestum videtur, metaphysicorum scilicet principiorum naturam, ab empiricis corruptam, ab eo contra integram servari : necessaria enim et universalia principia, per se nota, cuilibet scientiæ præponit ; animæ humanæ « virtutem ab intellectu » superiori participatam » tribuit, cujus ope *ad hoc lumen increatum* quærendum quasi motu suo feratur. Attamen *hæc prima principia per se nota*, ipsa per peculiarem quamdam abstractionem comparata esse censet, quæ a cæteris abstractionibus ideo differat quod statim et ipso mentis instinctu efficiatur, nec meditationem et artem sui consciam

requirat. Scilicet per eam *immediatam* vel *directam* abstractionem, quam nobis nihil aliud videri nisi inanem scholasticæ fictionem jam diximus, metaphysicæ notiones, ante alias, « lumine intellectus agentis cognoscuntur per species a sensi» bilibus abstractas (*de Magistro*, art. 1). » Non innatæ sunt, nec a Deo nobis impressæ : at ubi primum ad cogitandum maturus est hominis animus, eas operatione quam « *connaturalem* » appellat S. Thomas, ipse in se creat, quanquam inscius, utpote qui ad id efficiendum propria natura sua feratur.

Talis est S. Thomæ disciplina, quam ea propositione expressam defendendam suscipit Liberatore, verus profecto magistri sui interpres : « Ad Originem Idearum explicandam » sufficit admittere vim quamdam primitivam in animo, » quæ circa objecta sensibilia abstractione operetur (Lib., » t. 2, *Metaph. Spec.*, pars 2, cap. 4, art. 6, prop. 1). » At si totius disputationis nostræ ordo recolatur, nullo modo ei concedetur ita se res habere : nisi enim nova et inusitata *abstractioni* significatio tribuatur, abstrahere est rem in altera implicatam ita distinguere ut utraque separatim inspiciatur.

Experientia autem vetat ne credamus eam esse mentis humanæ naturam ut primo et quasi instinctu quodam abstractione utatur, dum contra nobis manifestum videtur non *per simplicem apprehensionem*, sed per judicia concreta vel *synthetica* res primo a nobis confuse cognosci. Quod si vero scholastici contendant eam *primam abstractionem* istius modi esse ut conscientiam fugiat, hoc gratuito fictum esse respondemus. Præterea ne ita quidem *conceptuum universalium* originem explanari posse credimus. Nam, ut supra diximus, ad constituendas metaphysicas notiones non perducimur *individuantes notas præcidendo*, nec in

rebus per sensus apprehensis *ordinem*, vel *causam*, vel *substantiam*, vel Deum quæreret homo, nisi quasdam insitas intrinsecus species ferret, quarum extra se similitudinem invenire vellet; nec dubitabimus adversus Liberatore S. Thomam ipsum appellare, qui profecto, ut compluribus locis supra citatis probavimus, animæ humanæ aliquid tribuit præter hanc abstractivam virtutem, quum eam agnoscat *intellectus superioris participem esse*.

Quod si denique objiciatur hanc de Origine Idearum disciplinam solam cum doctrina de unione animi et corporis concordare, quæ ipsa in scholastica de *materia et forma* philosophia condatur, utraque Inquisitionis decretis imposita, talibus argumentis, apud Liberatore quidem frequentissimis, nullum in philosophica disputatione locum esse censemus. Præterea quum scholasticam de his quæstionibus doctrinam cum recentioribus et medicorum, et philosophorum et physicorum inventis minime conciliari posse videamus, non possumus non vituperare eos qui nostra ætate, hujus temporis consuetudinem quodammodo renovantes, quo et Ecclesiæ Doctores, et publici magistratus, Aristotelem, et scholasticum potius quam Græcum Aristotelem, suppliciorum aut carceris metu intento defendebant, inter religionem et quamlibet philosophicam vel politicam disciplinam, necessitudinem quamdam instituere conantur.

Nos autem S. Thomæ metaphysicam et theologicam doctrinam laude et admiratione dignam judicamus; at quum de rebus agatur quæ non ad religionem, sed ad rationem solam pertinere videntur, eodem jure quo astronomicæ physicæve quæstiones, psychologiam ejus omnino repudiamus, quæ, ut ex opere nostro manifestum est, nec cum recentioris scientiæ inventis, nec cum sublimi metaphysica

ad quam tendit ipse S. Thomas conciliari potest, nisi adhibita inanissimorum et omni veritati alienissimorum principiorum inutili machinatione (1).

(1) Hanc, incolumi fidei integritate, retineri posse libertatem pluribus argumentis probavit doctissimus et inter christianos philosophos eminentissimus Redonicæ Facultatis Decanus Th.-H. Martin (*Les Sciences et la Philosophie*, Paris, Didier et Cie, 1869, essai 4, l'âme et la vie du corps, 5, p. 225-231).

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbonna,

Die 15 *februarii* 1876.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

PATIN.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX.

Excudebant Oberthür et filii.

